


Annuae Lit.
Soc. Jesu
M.DCLII

ANNVAE LITERÆ SOCIETATIS IESV,

ANNI M.DC.LII.


ALEXANDRO GOTTIFREDO.
Præposito Generali Societatem gubernante
usq; ad 12. Martij.

Deinde

GOSWINO NICKEL
in Præpositum Generalem
electo.



PRAGÆ,



❧§)✝(§❧

PROTESTATIO.



CVm S. D. N. Vrbanus Papa VIII. die 13. Martij, Anno 1625. Decretum ediderit, idéq; confirmârit die 5. Julij, Anno 1634. quo *inhibuit imprimi libros, hominum, qui sanctitatis seu martyrij famâ celebres è vita migraverint, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcunq; beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta, continentes, sine recognitione atq; approbatione Ordinarij, & quæ hactenus sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata.* Idem autem Sanctissimus die 5. Iunij, Anno 1631. ita explicuerit, ut nimirum *non admittantur elogia Sancti vel Beati, absolutè, & quæ cadunt super personam; benè tamen ea quæ cadunt supra mores & opinionem, cum protestatione in principio, quòd eis nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantùm sit penes auctorem.* Huic decreto, ejúsq;

confirmationi & declarationi, obſervantiâ ac reverentiâ quâ par eſt inſiſtendo, profiteor me haud alio ſenſu, quidquid in hoc libro refero, accipere, & accipi ab ullo velle, quàm quo ea ſolent, quæ humanâ duntaxat auctoritate, non autem divinâ Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ nituntur: ijs tantummodò exceptis, quos eadé S. Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum catalogo adſcripſit.



ANNVÆ ROMANÆ
M. DC. LII.

I.



Ndicto ad jubendum Præpositum Generalem maximo Societatis in extremum Decembris anni 1651. diem comitio, Lusitanos Patres, ne adessent quædam domí variè turbida, & silentio tantisper dissimulanda, tenuêre: Castellanis, Bœticis, Toletanis, in mari mediterraneo (incertum quo spei metúsve consilio) interceptis, ærumnosam illa captivitas & spoliatio moram injecit, uno penitùs intercluso. Extremo Decembris, adeóq; anni 1651. obeuntis, die, Joannes Card: de Lugo, noster, ad Domum Professam Romanam, ubi suffragatores comitiales more majorum conveniunt, habitâ cohortatione de nomine JESV & Societate, dixit è Landulpho apud Hugonem Cardinalem: (a) *In gloria cœlesti omnes ab ipso* JESV *dicemur Iesuitæ.* Nempe quod alij Christiani habituri sunt in fine, nos dicere possumus

(a) *Landulph: Hugo Card: in Apoc:*

mus cum Isaia: (a) *A principio nomen tuum super nos.* quasi per anticipationem. Etenim quòd ab hoc JESV nomine incipiens annus noster sæculo integro æquivaleat, granditate ac multitudine operum, debet hoc Societas nomini JESV; à quo accipit vires, & robur. Nec nostrum nobis nomen quærendum in ijs quæ agimus; verùm gloria illius nominis, exemplo Ignatij. Nam quemadmodum Cato Major, seu de Senectute; Lælius, seu de Amicitia; ita Ignatius ad majorem DEI gloriam est: id est, ut Cato Senectutis, Lælius amicitiæ, ita IGNATIVS quærendi nominis divini & gloriæ norma est, ac exemplum. Ad hujus nominis rem servandam è S. Dyonisio Areopagita: JESV, inquit, *felicissimam Societatem ex Sacramenti communione conijcies.* Eapropter Patres ad divinissimi Sacramenti reverentiam adhortatus, adjecit Proverbium, quo Hispani ajunt furnum, seu fornacem per os calefieri, id quod à nobis fit dum Sacrificio divino celebrando ita toti persanctè incumbimus, ut & ipsi calefiamus, & ij qui adsunt advertant eum, qui divinis operatur, esse verè de Societate JESV,

II. Comitij loco appensa magna Deiparæ pallio effusè propanso supplicem Societatem

(a) *Isaias cap: 3. juxta 70.*

tatem congregatam complexæ, effigies. 7. Januarij auſpicatò itum in comitium, & *Veni Creator Spiritus*: *Sub tuum Præſidium*: *Defende quæſumus Domine*, &c. pronunciante P. Vicario, aliiſq; reſpondentibus, divini Spiritus, & fidelis noſtræ Matris ac Præſidis auxilium imploratum. Demum reliquis è formula ritè peractis, XXI. Januarij ALEXANDER GOTTIFREDVS univerſæ Societatis lectus eſt Præpoſitus Generalis, ſecundâ ſuffragatione, ſive ſcrutinio. Inde ad INNOC: X. Pont: cùm adijſſet, retulit XXIII, Ian: Societatem à Pontifice impensè laudatam, *quæ adhuc reformatione non indigeret*, (pono enim ejus verba quàm proximè ex Italico) *Ne verò indigeat commendâſſe Præpoſito Generali, ut curaret exactam inſtituti ac regularum obſervationem, ex qua bonum Religionum, non ex reformationibus, dependeret*. Monuit quoq;, ut ſimus fortes ad reſiſtendum reſpectibus humanis: deniq; ut formentur concionatores Apoſtolici.

III. Septimâ decimâ Februarij die annuère Patres, ut pro Catholico Hiberniæ Regno, ſingulæ provinciæ unum Hibernum è Societate alant, & educent pro charitate Societatis: itemq; erga feſſos ſenes charitas, & erga propagandum domi foriſq; ſan-

ctorum noſtrorum cultum pietas flagrantior augeatur.

IV. Jam ad umbilicum propè perductâ Congregatione, cùm 12. die Martij Pater ALEXANDER GOTTIFREDVS morte mox percenſendâ deceſſiſſet, novâ initâ cooptatione, præmiſſis iterum ritè ijs, quæ præſtituta ſunt è more ac formulâ Inſtituti 17. Martij, A. R. P. GOSWINVS NICKEL è Vicario iterum Aſſiſtens Germaniæ, ſecundâ & ipſe ſuffragatione ſeu ſcrutinio, quinquaginta quinq; ſuffragatorum calculis electus eſt decimus Societatis JESV Præpoſitus Generalis, Pontifice permultùm id approbante. Reliqua comitij acta vel nota ſunt, vel adhuc ſilenda.

ELOGIA MORTVORVM IN Domo Profeſſa Romæ.

V. P. Hieronymum Anſaldum Sardiniæ Provincialem, virum tranquillâ quâdam religioſâq; compoſitione præſtantem, inter ipſam comitij generalis celebrationem 2. Febr: extinctum, dabit Sardinia. Nobis ex eodem comitio hic aliquantiſper nobiſcum perſiſtens ereptus eſt P. THOMAS REINA, 16. Aprilis, poſt alia cùm celebris per Italiam Concionatoris, tum geſtorum

rum Magiſtratuum munia, nuper Italiæ Aſſiſtens, vir teneræ pietatis, & religioſæ diſciplinæ retinens, etiam contra dilectos, ſi eos offenſatores videret. Exeruit ſapientem, & religioſi moris perſtudioſum aculeum, etiam contra eos Coadjutores, qui auſi ſunt turbida capita pro pileis quadratis, quos non merebantur, opponere. Alia de illo notabimus in Catalogo ſcriptorum.

VI. Sextam Septembris poſtremam inter vivos habuit pulchrâ morte ſuaviſſimè functus P. PHILIPPVS ALEGAMBE Bruxellenſis, Philoſophiâ Theologiâq; Græcij doctâ, & Patris ſpiritualis Confeſſariiq; domeſtici munere tum ibi, tum in Romana Domo geſto, nobili quâdam & religiosè urbanâ indole, ſagaci conſilio, tranquillo ingenio, mirabili erga Societatis inſtitutum reverentiâ, ſui demiſſione præclaris exemplis conteſtatâ, ſcribendi labore uſque ad propè extinctam oculorum aciem pertinaci merito æſtimatus, laudatus, amatus: de quo erit in ſcriptorum catalogo plura dicendi locus.

VII. Secundâ Octobris ultimâ illuxit P. CONSALVO CASTIGLIA ex Hiſpania huc ad urgendum Immaculatæ Conceptionis negotium deſtinato; cui per omnes urbis calores, & autumni variam tempe-

ſtatem hoc agenti, totâq; contentione cùm domi tum foris quaquaverſum ſatagenti, pretioſa in labore tam nobili mors necdum maturum in divina deſtinatione negotium intercepit, & quam ſe jam prehendere putabat palmam, velut in manu infregit, quando urbicis ardoribus, itineribúſq; æſtuantem febris tam vehemens accendit, ut brevì extinxerit. Suavis illi cum familiaribus & integerrimè candida conſuetudo, excelſum & acre, nec ſuâ domi nobilitate minùs illuſtre ingenium, laudata in dicendo gratia, & à Regij quoque Concionatoris titulo inſignis authoritas. Eximiè placuit etiam Romæ ad S. Jacobi auditus.

VIII. De A. R. P. N. ALEXANDRI GOTTIFREDI nobis in ſupremo Societatis Magiſtratu ad majus deſiderium tantùm ferè oſtenſi obitu, cùm literæ ad Provincias ab A. R. P. N. GOSWINO NICKEL datæ ſatis enucleatè, ac pro dignitate loquantur, juvat illas audire. Sic habent:

QVàm breves dies hominis ſint, & incertæ providentiæ noſtræ, docuit nos nuperrimè inexpectatâ ſuâ migratione ex hac vita R. P. Gottifredus, Societatis noſtræ Præpoſitus Generalis, quem nondum elapſo bime-

bimestri spatio, ab imposito supremæ Præfecturæ onere, placuit Deo, evocare ad se, & ad Congregationem (uti speramus) justorum in cælis. Accidit id die 12. fluentis mensis Martij, sub horam quartam ab occasu Solis, postquàm Sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis ritè fuisset communitus. Octo circiter diebus antea, nondum soluto Conventu generali decumbere cœperat ex febricula non magni (ut tunc videbatur) momenti, sed contractâ potiùs ex nimia defatigatione à multitudine negotiorum, quibus vir minimè parcus sui inremissè se tradebat. Verùm incidens febrilis calor in apparatum materiæ longo neglectu valetudinis congestum, nec superioris autumni ægritudine satis expurgatum, statim incrementa majora sumpsit: & auctus tabe, quæ in pulmonibus latuerat, frustra obnitentibus peritissimis medicis, brevi eripuit nobis Patrem, magno cum sensu Congregationis Generalis, quæ eum sibi in communem Pastorem paulò antea cooptaverat; & certè magna meritò sibi ab eo sperare poterat Societas, si diutiùs frui licuisset. Erat

quip-

quippe insignis zeli, indefessi laboris, perspicacis ingenij, imperterriti animi, optimi in omnibus exempli, & caritate præcipuè in infirmos singulari. Sed postulâsse videbatur ipsemet à Deo, ut si diu vitam pro bono Societatis producturus non esset, potiùs statim ex illa decederet, dum adhuc duraret Congregatio Generalis, quæ alium sine mora sublegere posset, ne tot sumptibus, laboribus & periculis cogeretur iterũ Societas orphana post breve intervallũ nova Comitia celebrare. Ita vir plenus Deo, anteponens suæ vitæ commoda Ordinis, nec faciens animã suam pretiosiorem quàm se, affirmavit disertè cuidam Patri paulò post susceptũ Societatis Clavum, precaturũ sese Omnipotentẽ Deum: ut exauditus videbatur pro sua pietate.

Moriens ille, cùm nullũ sibi substituisset Vicarium, devoluta est cura dirigendi Congregationem generalem ad Antiquissimum Veterum Assistentium, juxta §. 3. form. Congr: gener: quare cùm iterum, sed servatis ijs, quæ præscribuntur in d. formula, convenissent Patres, ad successorem illi subrogandum, me angariaverunt, ut tollerem cru-

crucem ab ipso relictam, & imbecillo imposuerunt onus, si non Angelicis humeris (ut de Episcopatu dici assolet) certè humanis quibuslibet formidandum. Quamobrem auxilia undecunq; conquiro, & orationũ præsertim subsidia ab omnibus enixè flagito, ut ad Dei gloriam, Societatis bonum, & ejus præcipuè in spiritu profectum sarcinã hancce ferre valeam, & quoniam primo loco Decessori Optimo justa persolvenda esse intelligo, R.V. curet per Provinciam sibi commissam, ut Sacerdotes singuli quinquies Sacrificium pro illo offerant, hoc est, ter juxta Regulam secundam Vicarij, semel in die exequiarum ex Dec: V. Cong: 7. & semel tanquam pro Secretario Societatis, ex præscripto Cong: 9. Dec: 21. Non Sacerdotes totidem coronas recitent. Nec amplius in præsentiarum occurrit, quàm ut omnibus, id quod ex corde facio, affluentiam charismatum de cælo precer, & me iterum atque iterum commendem omnium Sanctis Orationibus & Sacrificijs. Romæ 18. Martij, 1652.

Imprimatur.
Fr: Georgius Reinoldi R. P. Fr. Apost: Pal: Mag: Socius.

CATALOGVS PP. ELECTORUM CONGREG: X. *Anni M. DC. LII.*

A R. P. N. GOSWINVS NICKEL Vicarius, postea Præp: Generalis.

PATRES ASSISTENTES & Provinciales.

P. Fabritius Bansus Professus, 24. Junij 1614. Assistens Italiæ.

P. Guilielmus de Wael 18. Junij 1617. Provincialis Flandro-Belgicæ.

P. Claudius Boniellus 1. Nov: 1619. Vice-Provincialis Lugdunensis.

P. Ludovicus Brandaõus, 15. Decemb: 1619. Asſistens Lusitaniæ.

P. Petrus de Fonseca, 20. Januar. 1622. Vice-Provincialis Bœticæ.

P. Jo: Guilielmus Galaveronus, 2. Februar: 1622. Provincialis Mediolanensis.

P. Petrus Pimentel, 8. Junij, 1623. Provincialis Castellanæ.

P. Franciscus Annatus, 28. Januar. 1624. Assistens Galliæ.

P. Alphonsus Yanner, 15. Augusti 1624. Provincialis Toletanæ.

P. Ægidius de Namur, 29. Sept: 1624. Provincialis Gallo-Belgicæ.

P. Fran-

P. Franciscus Mascambrunus, 28. Octobr: 1625. Provincialis Neapolis.
P. Blasius Slaninus, 26. April: 1626. Provincialis Bohemiæ.
P. Gaspar Druzbicky, 3. Maij 1626. Provincialis Poloniæ.
P. Petrus Cazræus, 31. Maij, 1626. Provincialis Campaniæ.
P. Gerardus Hansen, 8. Decemb: 1626. Provincialis Rheni Superioris.
P. Claudius Delingendes, 13. Junij 1627. Provincialis Franciæ.
P. Franciscus Franco, 31. Julij, 1628. Provincialis Aragoniæ.
P. Nicolaus de Royen, 15. August: 1629. Provincialis Aquitaniæ.
P. Franciscus de Montemayor, 1. Maij, 1630. Asistens Hispaniæ.
P. Alexander Boseillus, 2. Decemb: 1630 Provincialis Venetæ.
P. Gulielmus Sommierre, 12. April: 1632. Provincialis Tolesanæ.
P. Hieronymus Ansaldo, 8. Septem: 1632. Provincialis Sardiniæ.
P. Zacharias Trinckelius, 25. Januar: 1635. Provincialis Austriæ.
P. Joannes Panhansf, 2. Febr: 1635. Provincialis Rheni inferioris.
P. Franciscus Forsterus, 8. Decemb.: 1635. Provincialis Angliæ.

P. Christophorus Schorrer, 31. Julij 1637. Provincialis Germaniæ superioris.
P. Joannes Riwocky, 29. Julij 1639. Provincialis Lithvaniæ.
P. Ludovicus Bomplanus, 27. Maij 1640. Provincialis Siciliæ.

NON ASSISTENTES neque Provinciales.

P. Aloysius Albricius, Professus; 25. April: 1613. Romanæ.
P. Thomas Rheine, 2. Febr: 1615. Mediol:
P. Florentinus de Montmorencij, 9. Octob: 1616. Gallo Belgicæ.
P. Ludovicus à Marea, 22. Ianuar. 1617. Flandro-Belgicæ.
P. Hugo Mambrux, 2. Aprilis 1617. Lugdunensis.
P. Joseph Castelnovus, 14. Maij, 1617. Siculæ.
P. Paulus de Resas, 3. Sept. 1617 Aragon:
P. Jacobus Binet, 4. Nov: 1618. Franciæ.
P. Theophilus Raynaudus, 1. Januar: 1619. Lugdunensis.
P. Nicolaus Bimara, 22. Maij, 1619. Neapolitanæ.
P. Ignatius Garganus, 2. Februarij, 1621. Neapolitanæ.

P. Vin-

P. Vincentius Maria Bargellinus, 20. Maij 1621. Venetæ.
P. Guilielmus Angmot, 20. Julij 1622. Aquitaniæ.
P. Nicolaus Recopê, 10. Augusti: 1622. Toletanæ.
P. Otho Zylius 31. Maij, 1623. Flandro-Belgicæ.
P. Rodericus de Arriaga, 12. Novembris, 1623. Bohemiæ.
P. Petrus de Picalez, 14. Aprilis 1624. Aquitaniæ.
P. Paulus Belli, 16. Maij, 1624. Siculæ.
P. Joannes Streinius, 21. Julij, 1624. Rheni superioris.
P. Franciscus de Ribera, 11. Maij, 1625. Bœticæ.
P. Ambrosius de Pennalesa, 15. Iun. 1625. Toletanæ.
P. Henricus Lamparter, 31. Julij, 1625. Germaniæ superioris.
P. Joannes Moset, 21. Junij, 1626. Campaniæ.
P. Georgius Speiser, 6. Januar: 1627. Germaniæ superioris.
P. Joannes Wazin, 6. Januarij, 1627. Bohemiæ.
P. Franciscus le Roy, 10. Octobris, 1627. Gallo-Belgicæ.

P. Laurentius Pikarsky, 15. Augusti, 1628. Poloniæ.

P. Ildephonsus de Ayala, 8. Decem. 1629. Bœticæ.

P. Franciscus de Vergara, 19. Maij, 1630. Castellanæ.

P. Antonius Morandus, 1. Nov: 1630. Venetæ.

P. Gregorius Hoffman, Novembris, 1630. Lithvaniæ.

P. Franciscus Tarbes, 10. Augusti, 1631. Tolosanæ.

P. Didacus de Alastuei, 13. Novem: 1631. Aragoniæ.

P. Andreas Zawadsky, 21. Mart. 1632. Poloniæ.

P. Joseph Simonis, 29. Januarij, 1633. Angliæ.

P. Io: Aloysius Confalonerius, 8. Decemb: 1633. Mediolanensis.

P. Thomas de Blanc, 6. Aug: 1634. Campaniæ.

P. Odoardus Courtenæus, 30. Aug: 1634. Angliæ.

P. Joannes Bucelleni, 17. Decemb: 1634. Austriæ.

P. Georgius Turcovich, 25. Ianuar: 1635. Austriæ.

P. Bernardus Wimpfling, 2. Februar. 1635. Rheni inferioris.

P. Fabius Albergatus, 8. Septembr: 1635. Romanæ.

P. Martinus de Lezaua, 18. Octobr: 1635. Castellanæ.

P. Sigismundus Lauxmin, 25. Febr: 1636. Lithvaniæ.

P. Claudius Boucher, 15. Augusti, 1636. Franciæ.

P. Joannes Marraccius, 1. Ianuarij, 1635. Goanæ.

P. Godefridus Otterstedt, 29. Iunij, 1637. Rheni inferioris.

P. Gavinus Carta, 23. Iunij, 1639. Sardiniæ.

P. Sebastianus Comina, 23. Iunij, 1639. Sardiniæ.

P. Gundisalvus de Castilla, 24. Iun: 1639. Toletanæ.

P. Gaspar Cæselius, 4. Iunij, 1645. Rheni Superioris.

ANNVÆ PROVINCIÆ AQVITANIÆ, 1651.


Quitaniæ Provincia, è ſocijs quinquaginta ſupra trecentos, numerat Sacerdotes centum octoginta, per domicilia quindecim naviter occupatos.

§ 1. *Fundatio Collegij.*

1. Pictavienſe Collegium varijs variorum donis jam antehac excitatum, hoc demum anno auguſtum ſtabilimen accepit, quando Ludovicus XIV. Rex Chriſtianiſsimus ejus Collegij ſe Fundatorem profeſſus, præter ea quibus hactenus alebatur, illi ex ærario Regio mille aureos aſsignavit.

§ 2. *Eccleſiæ Catholicæ reſtituti. Miſsionum proventus.*

2. In Laſcarienſis Epiſcopi, & Bearnicæ Proregis miſsiones è Palenſi Collegio itum. Tres Patres dati ſingulis ad tres menſes neceſsaria ſuppeditante Prorege atq; Epiſcopo. Odia, pellicatúſq; ſublatos, Catechiſmos metro cantatos, frequentiam populi tantam, ut templis capi non poſſet, omitto. Illud ſingulare, quod ſint generales paſſim omnium ferè confeſsiones auditæ.

3. E ſeptem illis, qui ad orthodoxam Eccle-

Ecclesiam sunt traducti, unius non dissimulanda resipiscendi occasio. Is nuper coram Augustissimo Sacramento solenni supplicatione circumlato, unum è patribus petulanti ausu invasit verbo primum, tum etiam manu. Haud ita multo post idem, seu sui facti indignitate perculsus, seu singulari patientissimi modestissimiq; Patris virtute attonitus, hæresim ejuravit, tanto sensu liquidæ pietatis, ut magnopere permotis circùm hæreticis, debitas impiæ ac temerariæ audaciæ suæ pœnas luere sponte ipse suâ ultrò petierit.

4. Burdigalæ fœmina, & claritudine stirpis nobilis, & dignitate primaria, cùm in Domûs Professæ templo ritu solenni hæresim ejuraret, exempli nobilissimi novitate tantam spectatorum coronam accivit, ut cum tribus regij sanguinis principibus flos totius nobilitatis confluxerit, ac templum ipsum affluenti confertim populo fuerit perangustum, neq; omnium capax.

5. Apud Lemovicos vir nobilis, qui Calvinista licet, nescio quo tamen instinctu divinitatis multos jam annos Beatissimam Dei parentem præcipuâ veneratione coluerat, ejúsq; præsidio varias fortunæ tempestates effugerat, hoc anno se nostro cuidam in fide instituendum dedit, eámq; in ma-

gno vicinæ Nobilitatis concursu atq; gratulatione, damnatâ palàm hæresi, est amplexus.

6. Id etiam fidei bono factum, quòd in lucem datus P. Joannis Martinon Anti-Jansenius, incredibili cùm Lutetiæ, tùm reliquæ Galliæ approbatione sit acceptus.

§ 3. *Sacramenta & Sancti.*

7. Nescio quid suavioris levamenti persentiscere se fatentur quidam, iiq; nec pauci, & persæpè, qui peccata etiam alio in loco in Sacramento detecta, nostris tamen iterum aperiunt, maximéq; cupiunt unum è nostris nancisci, qui adsit hinc ad æterna migrantibus.

8. Pictavij cuidam vehementiùs excandescenti dæmon se videndum objecerat specie formidabili, & furoris nescio quam intemperiem incutiente in pectus. unde ille se à spectro illo sensit non tantum invitari, aut incitari ad gulam laqueo elidendam, verùm injectâ quasi manu perpelli. Et fuit, cùm invisam manum ad laqueum urgentis persentisceret, adeóq; ab illa teneretur, ut nec ille se, nec illum vicini accurrentes, à cruentæ belluæ unguibus potuerint expedire. Adfuit fortè interea boni Dei ductu è nostris Pater quispiam, qui hominem lustralis aquæ ope sibi ac DEO reddidit, cùm

jam

jam semianimis hiaret, attonito stupore plenus: postero verò die Sacramentorum mysterijs in templo nostro à dæmonis atq; conscientiæ terriculamentis prorsus exemit, ac ille se sanæ piæq; mentis deinceps compotem lætatus est.

9. S. Patris Ignatij numismata, & imagines, atq; reliquiæ, miris omninò modis laborantes in partu matres in pluribus locis adjuvère. Voto in S. Franc: Xaverij venerationem concepto Burdigalæ undecim annos nata parvula, medicis nihil jam de spe vitæ loquentibus, eodem die, ijsdem vim humanâ majorem admiratione magnâ agnoscentibus, à febri libera, deinde sanitati est penitùs restituta.

ANNVÆ PROVINCIÆ AVSTRIÆ.

1. SEptingentos, & septem ac sexaginta socios, atque hos inter Sacerdotes trecentos & sexaginta recensuère viginti duo Austriacæ Provinciæ Collegia, cum Domo Tironum alterâ, & altera Professorum, domiciliisq; adnexis. Aucta est Provincia novo, & in ipsis suis velut incunabulis multa passo, eóq; in spes majores assurgente Tren-

chiniensi Collegio in Vngaria, Georgio Lippai Strigoniensi Archiepiscopo Fundatore, qui præter hoc suum Collegium, etiã Viennensem Professorum Domũ, & Novitios liberalissimè ac benevolentiâ est complexus.

2. Clagenfurti constabilita est authoritate Cæsareâ Leonardi Scherer Wolffsbergæ Cancellarij fundatio facta, in alimenta Professorum Theologiæ moralis Philosophiæq; nec non Iuris & Legum Canonicarum; Provinciâ quoq; Carinthiæ liberaliter adnitente.

3. Tirocinium hoc anno bifariam divisum, Viennâ Leobium, unde venerat, duxit Coloniam. Quocirca eorum loco, qui à nobis ad superos migravêre, vel in Ægyptum remigrâvere, in Societatem adlecti quatuor & sexaginta. Atq; hæc de domicilijs.

§ I. *Ad Romanam Fidem reducti.*

4. Ea quæ ad Fidei propagationem gesta sunt in expeditione ad reformandum in populis Religionis Catholicæ studium susceptâ, nunc fructu trigesimo, nunc sexagesimo, nunc centesimo continentur. Vbi numerum addere non libuit, pagatim actum. Cancellarius Cæsareus, cùm subjectos sibi omnes reformari se libenter passos, omnes jam Catholica Sacra sequi gratulabundus

Cæ-

Cæſari retuliſſet, atq; illo quærente, quibuſnam reformatoribus ad illam provinciam exantlandam eſſet uſus, reſpondiſſet, Patribus è Societate IESV; *Enimverò bonis uſus es adminiculis*, inquit cum ſignificatione gaudij amantiſſimus & Catholicorum progreſſuum, & Ordinis noſtri Cæſar; precatus, ut nobilis illa lætandi ſeges plures habeat imitatores.

5. Extra inſtauratitias illas miſsiones Catholicæ fidei agnitâ ſanctitate hæreſim exuêre Tyrnaviæ centum & quinq; ; Viennæ apud Profeſſos., centum quinquaginta duo: qui omnes cum alijs aliorum operâ Collegiorum hæreſim dedoctis æquant numerum milleſimum admodum atque centeſimum. quorum tres etiam ad religioſos ordines, è quibus deſciverant, revocati. Inter Turcas Chriſto authoratos, fuit in Vngaria nobilis fæmina, primarij cujuſdam apud Agrienſes Turcas viri filia, nec minùs locupletis alterius conjunx, quæ certè ſalutem in fuga invenit, quâ in Vngariam delata eſt.

6. Illius ad fidem reductio habet leporis nonnihil, qui cùm à Patre quodam Superiore Ord. S. Franciſci Pharmaci neſcio quid petijſſet, ille autem dixiſſet, illud non niſi Catholicis proſperè cedere, utpote acceptum Trenchinij à Patribus Ieſuitis, eâ ille

occaſione in veritatis dogmatibus edoctus fidem ſuſcepit, medicinam ſumpſit, & illâ feliciter cedente valet nunc animo, corporeq; feliciter. Hæc Trenchinij, ubi religioſa etiam quæpiam hæreticis nuptijs jam apparatè inſtructis deſtinata, reducta eſt ſicut ovis quæ perijt; hæreticis rubore & indignatione frementibus.

7. Ibidem conducibile imprimis viſum eſt ad orthodoxæ Eccleſiæ authoritatem, quòd quidam Trenchinienſium accolæ omnes, unico excepto, hæretici colligendâ demeſſâ jam ſegete occupati, cum coactâ repentè mixtâ fulminibus tempeſtate ſub arbore opperiuntur ut illa tranſeat, Catholico ſe cruce, ut ſolent Catholici, muniente, inermes illi à fulmine variè ſint afflicti, nemine planè immuni, præter armatum ſalutari Crucis ſigno Catholicum. Nam ut reliquos omnes à cadente fulmine afflatos, ac ſurditate percuſſos omittam, ſex illorum graviſſimè ſunt perſtricti, relictis latè per corpus fulminis veſtigijs, quorum unus tertio poſteà die diem obijt: alij verò quatuor, præter ſurdos illos & hoſce ſaucios, eo ipſo loco extemplo ſunt à fulmine interempti. Poſonij valuit ad Magiſtratus & hæreticorum animos nobis adjungendos decumanum Prædicantis balatronis mendaci.

dacium, quo palàm concionali suâ licentiâ dixit in templo; quingentis ab hinc annis Iesuitam vitâ functum Posonij in templi medio de sandapila igne usq;quaq; circumseptum exurrexisse, ac disertè populo affirmâsse, æternùm se datum in prædam ignium æternorum. Hæc res plures ad nostras cùm templi, tum scholarum celebritates accivit; utpote quos viderent, cùm veritate vinci non posint, tam luculentis mendacijs, idq; non semel, oppugnari.

§ 2. *De Confessione generali.*

8. Qui per generalem expiationem vitæ noxas retexuerunt, in septem tantùm domicilijs, ibiq; quorundam tantùm Confessariorum operâ (nam reliqua domicilia & Confessarij numerum omisère) fuerunt quater mille, nongenti. Sola Domus Professorum Viennæ numerat octingentos. In tali confesione vitæ consilia, & pacem reperit Crembsij altera, Traunkirchij altera mulier, quarum illam spectra jam eò adduxerant, ut morte amariorem vitam voluntariâ morte in mortem æternam infelix exterminaret: huic verò post neglecta jamdiu Sacramenta de venia desperanti, & collum funi suspendiario inserenti, sed aliorum interventu in vita retentæ, veniæ spes ac vivendi cupido injecta est.

9. In eodem vitæ universæ per pœnitentiam repetitæ alexiterio, præsens contra dæmonis vafrè insidiosi suasiones Viennæ remedium inuenit lautâ domo natus ante annos quindecim adolescentulus. Huic præceptor domesticus, conscelerato consilio viam ostenderat, quâ domi à suis pecuniam clandestinus fur scitè auferret, in ganeis ac lustris posteà hilarè prodigendam. Vtebatur facinoroso consilio, & pecuniâ, quam furto ablatam defoderat in suburbano, inde ad emenda scelera depromendam. Ibi cùm sole jam obeunte pecuniam suam propemodum exhaustam videt, ac de novâ malis artibus acquirenda deliberat anxius consilij adolescens, umbram loquentem audit & videt, quæ nefariâ pactione liberaliter æris affluentiam promittebat, si tamen se vicissim huic liberalitati fideliter devoveret. Petenti autem adolescenti, ecquid hoc, aut cujus umbra seu imago esset; spectrum, post fidem datam tum demum intellecturum respondit. Id enimverò nolle se ait benè suspicax adolescens: at vix eo dicto, velut œstro infernalis genij percitus inconditè succlamavit, rapi se, rapi, auferri à dæmone. Domum asportatus, in lectulo vinculis tenebatur, dum mœstissimorum parentum accersitu, è Professorum domo

nostri

nostri properè adfuêre, ac adolescentem, qui semper hactenus à præsente sibi & imminente cacodæmone se ad inferni tenebras extemplò raptandum miserabiliter vociferabatur, sacris amuletis feliciter tranquillavère. Sed cùm luce posterâ domo exivisset, sensit se arcanâ vi repentè in vallem abditam ab atro deductum cane, ad consciscendam sibi necem impelli, cultro patrandi facinoris instrumento, qui proximo stipiti hærebat infixus. Ibi sacrâ crucis super se ductæ tesserâ ubi se se munivit perterritus adolescens, momento temporis videri & culter & canis & ignota omnia desiêre. Ipse verò velut interspirans, rectis itineribus ad ProfessorumDomum contendit, & infelicis pœdagogi seductiones vitámq; suam omnem per exomologesin varijs pietatis operibus comitatam detestatus, pœnis voluntarijs à se non parcè repetitis, jam demum sedatè in tranquillo vivit, & consiliarios sequitur meliores.

Iudenburgi quoq; fæmina, teterrimi aspectu monstri, à cujus hiante immani rictu sibi videbat exitium imminere, tetriorem, aut certè consentaneam illius monstri deformitati conscientiam se habere in illo velut in speculo vidit, ad nostros advolavit, ac rem hanc & vitam omnem percensuit.

§ 3.

§3. *De SS. Euchariſtiæ Sacrificio, & Sacramento.*

10. Sepuſij civis utriuſq; oculi lumine captus jam per annos ſeptendecim, poſteaquàm noſtris authoribus cœpiſſet Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium frequentare, non multò poſt videre primùm cœpit Chriſtum pro ara in hoſtia elevatum. & jam experitur validiore quàm unquam antehac, videndi acumine ſe pollere.

11. Gyöngyöſini ea quæ in Sacro leguntur Evangelia, ſuper ægros religiosè recitata, non paucos incolumes reddidère.

12. Divino epulo refectorum numerus in Domo Profeſſa Viennenſi centum millia eſt ſupergreſſus.

13. Goritiæ cujuſdam etiam oculos ita tenebat ſcelerum cæca nox, ut eum, quem Sacerdos in Sacrificio Altaris populo adorandum elevat calicem, quicquid oculorum aciem, ídq; non ſemel, intenderet, non videret. Collyrium illi fuit perſanctè patrata conſcientiæ per Sacramentum luſtratio, cujus ope noctem oculi exuêre.

§ 4. *Confeſsionis ritè peractæ fructus.*

14. Dulciſſimum hujus fructum Clagenfurti peractâ apud nos exomologeſi ſenſit exauthoratus miles, quem Veneta me-

ren-

rentem stipendia contra Turcas, sacrilegi consilij author quispiam ad sacram Eucharistiam, aperto per voluntarium vulnus corpori pro amuleto includendam adduxerat.

15. Fuit Crembsij, qui labes animi per Sacramentum expiaturus, quoties in templum ire parabat, toties pedum dolore tanto se corripi senserit, ut pedem domo promovere non posset. Id ubi cuidam è Societate Patri pernotuit, & ejus hortatu æger in templum est deportatus: & statim ab Exomologesi peractâ, pedibus & valetudini restitutus divinam Synaxim adijt, & salvus vires habuit ad domum sine alio adminiculo repedandum. Græcij membrorum usus maleficio ademptus, eodem confestim est alexipharmaco restitutus.

16. Crembsij non nemo artes magicas, quatuor annos plures insuefactus perdiderat, detestatus, amuleta in ardentem rogum tertiò abjecit, & illa in pectus ab igne saltu reciproco redière. Mente deinde ad aliud elementum conversâ, illis in aquam abjectis, coortis inde diris procellis ad extremum propè vitæ discrimen adductus est. Neque noctu tantùm habuit requietis, quin, adspectante uxore, de lecto extractus à miseris intemperijs, à dæmone conspicuo vexaretur. Pacem cum conscientia apud

apud nos injjt, & quieti suæ relictus est.

17. Viennensibus nostris Tironibus peregrinis quidam procrastinatæ pœnitentiæ causam eam esse dixerat, quod nummos curioni pendendos non haberet. mox nummos totidem humi coràm jacentes conspexit.

18. Posoniensis puella, sacræ pœnitentiæ ac ceræ benedictæ usu munita, dissociari se à proco incubo dæmone statim lætata est, à quo nempe hactenus intemperanter ad diram turpitudinem fuerat invitata.

19. Viennæ ad Professos duæ trepidæ advolavère, ut se ab inferni periculis expedirent. Altera dum se in cubili ad somnum de scelere patrato læta componeret, secùndùm quietem audire sibi visa est dæmonem facinus exprobrantem, & videre irruentem oculis ignem latè vomentibus. Clamat illa JESVM, & spondet quàm maturrimè inquinamentum illud Confessione ac emendatione sanctâ eluere. Ita conquievit, & promissa implevit. Altera patrato crimine, à sex inferni tyrannis visu teterrimis è lecto in atrium ad supplicium se trahi arbitrata, dicebat se Sacerdotis interventu ereptam discrimini, & servatam. Imago illa fuit mentis à DEO commonitæ. Quare monenti paruit, & conscientiæ universæ sordes abstersit, acerbissimè lachrymata.

20. Crembsij senem ætate ac scelerum conscientiâ gravem eo impulit somnij monitoris atrocitas quò hactenus perpelli non poterat. Narravit ille nostro Sacerdoti visum sibi esse prægrandem anguem suis cervicibus minaciter imminentem. Nostri hortatu illum à cervicibus repulit, cùm dirum conscientiæ virus deposuit.

21. Jaurini spectro territus, & agitatus miles, ad pœnitentiam, & frugem, atque quietem redijt. Leobij faber, profanatorum ferro & igne festorum reus, tertiùm vidit penes lectum suum ignes ab inferni cyclopibus excitari, qui sese in opus invicem animabant. Ad pœnitentiam accurrit, & ignes illos lachrymatione sanctâ extinxit, cyclopibus quoq; deinceps non reversis.

22. Jaurini quidam sibi parùm benè conscius, noctu à somno experrectus, armatum spectrum conspexit, à cujus rhomphæam furenter minantis immani sævitiâ, cùm nec per fenestram ferro clathratam effugium pateret, nec à vigilibus auxilium sufficeret, vicinam desperatis intemperijs animam, opportunis per divina Sacramenta suppetijs armatam pacificavit.

23. Deniq; persanctè usurpata Sacramentorum frequentia, quid possit in confessionibus non oscitanter perfectis, ostendit,

dit, ut alia prudens omittam, Græcij par nobile Matronarum; quarum altera, ne in ægrotatione quidem adduci unquam potuit, ut à tenero latere catenulam ferream abesse tantisper pateretur. Altera æquè genere ac macerandæ carnis ardore constantiâq; illustris perpetuâ, triginta annorum nullo temporis interpositu interruptorum continuatione, se cinctu cilicino continenter adstrinxit, nobile ac sacrum balteum, non priùs quàm in corpore putruerit, positura.

§ 5. *Beatissimæ Deiparæ cultus, & beneficia.*

24. Ad Græcium senex dierum pessimorum plenus, à cœlesti Regina non semel conspectâ commonitus; Judenburgi fæmina sceleris arcani expiandi meminisse ex hortatu ejusdem ac monitu jussa; utrique hortamini tanto paruisse saluti est.

25. Posoniensi in ara nostra Virgini magnâ anathematum appensorum crebritate celebri, ejúsq; Filio è cruce in sinum deposito, Julia Anna Esterhasia, aureas singulis singulas coronas gemmis unionibúsq; illustres imposuit. Foyensis lapillus Marianus multorum febres abegit: Styræ anum à gravi lapsu quassatam à periculo sanitati red-

reddidit : Gyöngyösini linguæ uſum uni reſtituit. Votis Virgini nuncupatis, Viennæ unus, Judenburgi alter periculo mortis erepti. E Bohemia Poſonienſi Deiparæ anathema miſſum aureorum facilè trecentorum. Nonnemo ait ſe illius ope Sabbatino promiſſo jejunio, & feriæ 4. abſtinentiâ, è cuſtodia, & ſuſpendij periculo evaſiſſe.

26. Ruſticum hominem Græcij, acerbiore quàm ferre poſſet inteſtinorum cruciatu, ad vitam ſibi præcipitio, aut ferro in viſcera adigendo, abrumpendam adactum, & prohibitum, obita ad pedes noſtri peccatorum confeſſio, fecit à doloribus reſpirare. Votum autem ad B. V. ſuſcipiendæ peregrinationis, beneficium abſolvit, & hominem planè reſtituit.

27. Ibidem fœmina paucis ante obitum horis adhuc ſui probè compos, confeſſario præſente, cum incredibilis lætitiæ ſignificatione, ſibi DEI Matrem coràm adſpectabilem affirmans, eandem verborum pietatem voluptatémq; cœleſtem ſpirantium ſenſu tenerrimo allocuta ſalutabat.

28. Clagenfurti Auguſtanus adoleſcens, deſerto Patre hæretico, ac fratre dogmatis ejuſdem magiſtro, ajebat ſe à Deipara monitum per quietem, ut in Eccleſiæ Catholi-

cæ complexum ſe daret. neq; ſe priùs quàm id exequeretur, quietis partem ullam capere potuiſſe affirmat.

29. Leobij miles uxorem à fide Catholica olim averterat: nunc pij libelli lectione converſus, & ſe & illam Catholicæ veritati mancipavit. Ait ille ſibi dormienti Deiparæ ſpeciem benignæ Majeſtatis pleno vultu objectam non ſemel amplecti volentis inſtar: Inde mirus illum ad virtutis excelſa concitati animi ardor inceſſit. Licèt verò ſæpè graviſſimis tentationibus exerceatur, ſæpiùs tamen liquidâ è cœlo voluptate perfuſus totus eſt in delicijs paradiſi, magnis quibuſdam lucidæ virtutis, ſuavium lachrymarum, legendi ſancta, patiendi, jejunandi, ſe abijciendi deſiderijs plenus. ad opprobria lætus & gaudens, oblatis quoq; maxillis, ſi convitiatori verbis verbera luberet adijcere. ſe enim totum Deo, totum Domini ancillæ ac Matri conſecraneum velle vivere, pati & mori. Plures jam lectione, allocutione, ac exemplo ad Roſarium, ad confeſſionem, ad frugem perduxit; ipſe autem ſemper æmulatur chariſmata etiam præſentibus meliora.

§ 6. *De Sanctis.*

30. Miles per omnem vitam apprimè addictus Angelo ſuo tutelari, cùm è militia

Vene-

Veneta captivus Alepum fuiſſet deportatus, magnâ ſemper ac ubiq; reverentiâ ſuum Angelum colere non deſtitit. Ejus ope è cuſtodia, poſt multa dira iſtic tolerata, ereptus, nuſquam agnitus, inde uſq; ſemper ſecurus appulit Clagenfurtum ad noſtros: ubi beneficium Angelicum, & innocentis vitæ (quod majorem admirationem, æſtimationémq; meretur) ſeriem omnem expoſuit.

31. Styræ S. Gliolaphus duos à pedum tumore immunes fecit, & arcam furibus hactenus ſemper obnoxiam, nec à feris ullis unquam ſatis cuſtoditam, ubi illa de S. Gliolaphi cineribus eſt munita, ſecuram & illæſam ſervavit.

De S. P. Ignatio.

32. Exercitia obière circiter quinquageni: nec pauci primi nominis, ut Strigonienſis Archiepiſcopus, cui id quotannis ſolenne eſt. Qui ex erudito Ignatij ſinu, ſeu Societatis educatricis inſtitutione ad alios ordines fœcundâ propagatione abière, ad centeſimum propè numerum pervenère. Quas cùm deſperatâ prole in vita retinuit puerperas, aliterq; adjuvit, non eſt integrum adnumerare. Votivæ Collegij Vienneſis tabellæ id loquuntur: Domus autem Profeſſorum ibidem id genus adjutorum

meminit ferè vicenarum. Et vix est Collegium, quod non simile quidpiam de suis recenseat.

53. Sepusij puella hæreticorum filia, morbo comitiali & phrænetico miserabilis, miram sibi fiduciam illabi sensit ut nostrorum opem in re tam difficili imploraret. Fecit; & citra dubitationem, Sancti Patris filiorum loco orantis interventu, morbo utroq; soluta est.

54. Vnguarini quidam ab omnibus conclamatus, horam integram in puteo hæserat, in quem prolapsus erat, & mersus. Eo periculi articulo permotus quispiam, votum pro illo ad S. P. Ignatium nuncupavit, & ille non vivus tantùm, sed & salvus è puteo extractus, & hujus votum implevit, & omnium expectationem superavit.

55. Viennæ præter Domum, in qua ubicunq; S. P. Ignatij effigies affigebatur spectra fugabat, liberatam; etiam juvenis post alia nequicquam tentata consilia, voto ad Ignatium concepto, à desperata ad sanam mentem reversus est.

56. Crembsij carceri mancipatum reũ quendam olim Turcam, varia plena formidinis exercebant. Ad conspectum Rosarij à nostro ostensi, vultu pallere, oculos contorquere, crucifixum aversari, timore perfun-

fundi visus. Jam invesperascebat, cùm intra pedes lumen ferre parantis ministri, quidpiam prægrandis instar canis convolvitur; qui demum canis ad candelam accensam, in felem commutari est visus. Omnia hæc S P. Ignatij effigie sunt depulsa; & ille sibi ac Deo redditus, mortem supplicio affectus oppetijt.

37. Mille statuis per ferias Ignatio solennes cùm plures convenissent vicinæ per conferta agmina Paræciæ, communi omniũ pluviam sitienti ac hianti terræ petentium voto annuit liberalis in Ignatij Clientes DEVS, pluviâ per sequentem noctem tam largè concessá, quantam illi putabant suis opportunitatibus tempestivam.

38 Labaci præter duas à summo periculo in partûs agone servatas, luculentum fuit Ignatij beneficium erga illum, cui ex umbra quapiam oculis ac animo obversante stupor quidam incussus, omnem quietis desideratæ pacem, aurium item ac loquelæ usum ademerat, jámq; seminecem admovebat morti. Admota illi Ignatiana lipsanotheca, mox illum sibi, brevi sensibus omnibus, deinde quieti, deniq; sanitati restituit.

38. Traunkirchij vaccis insidere atque illas exagitare visus dæmon, illas macras, &

lactis planè vacuas, inutilésq; reddebat, hæ sacris amuletis curatæ: Posonij sponsa ab eodem sponsi figuram & lineamenta mentito; Tergesti matrona parturiens ab eodem obsidente torqueri credita: utraque S. P. Ignatij reliquijs adjuta.

S. Franciscus Xaverius.

39. Posonij cuidam pedum usum restituit. Viennæ vero juvenem, per omnem Sacramentorum neglectum, & efferatam licentioris usquequaque vitæ petulantiam semper in pejora præcipitem, velut sufflaminavit. Audierat hic inter Xaverij decora illud quoq;, quàm is ad desperatos quosq; ad Deum emolliendos potens esset, quàmq; id luculentis experimentis affatim docuisset. Ergo cùm se de illa tribu censeret, raptim ad S. Xaverij aram quiddam precum obviarum veluti tentabundus deproperat, si fortè vim illam suam Sanctus in se quoq; desperanter scelerato exerceret. Et vero expertus est id, quod cupiebat potiùs, quàm fortè sperabat. Repentino intus calore gliscente totum pulchro æstu se corripi, & glaciem suam illam in lachrymas effluentem stupet, & gaudet; jámq; alius ab illo, qui ad aram accesserat, nescit quomodo sine rubore se audeat è loco in publicum expedire. Tum non privata so-

lù m

ſum confeſsio, ſed publica paſſim pœnitentiæ ſigna in illo apparuère. Domi flagris in ſe inclementer & quotidie deſævire, nocturnas tenebras lachrymis precibúſque implere, foris veniam exempli peſſimi paſſim petere, ac meliora præbere, deniq; fateri, ac mirari, & gratias DEO Xaverióq; agere quod à plena futilitatis, & voluptariæ veſaniæ vitâ, in hanc mentis lucem fuerit revocatus.

B. Aloyſius Gonzaga.

40. Viennæ puella, poſt votum Virginitatis honori B. Aloyſij Virginis nuncupatum, à longo & acerbo febrium ardore ſtatim ſoluta eſt: & admotâ Beati ſui icone, aut oleo lampadis illi appenſæ, capitis dolorem non ſemel ſedavit, ac diſpulit. Græcij puer è claſſe infima, qui ipſo Beati Aloyſij feſto ſe Beato impenſiùs commendârat, in vexilli ferro armati cuſpidem oculo incurrit, corruitq; ſemiexanimis; mox erectus, ferrum oculo defixum exemit ſine ullo veſtigio vulneris vel doloris.

§ 7. *De Sodalitatibus.*

41. Ad ſexaginta Sodalitia, Scepuſij unum in Scholis, Lincij alterum Chriſti in agone poſiti acceſſit. Mira & plena ad Societatis votum ac mentem ſunt ea, quæ Lincij, Græcij, Viennæ, paſſim undiq; hoc

uno compendio in animarum lucra emergunt, Sacramentis hac demum arte, miro ardore, accuratione, frequentiâ usurpatis, nobilitate quoq; fasces ad agonis Christi, & suæ mortis memoriam inclinante, ac illa faciente, quæ fieri posse credi vix potuit. Quicquid ad animorum salutem efficere videtur arduum, hac demum velut universali ad omnia machinâ seu instrumento perficitur.

42. Sodalis Tergestinus, gravi vulnere ictus à sclopo, inimico, statim atque se recollegit, veniam dedit, & sinceras, ubi id liceret pro illo preces fusurum se promisit. Viennæ Sodalis pudici Josephi exemplũ suâ de blandis precibus ac minis victoriâ, & fugâ decorâ renovavit. Clagenfurti Sodalẽ post quindecim annorum negligentiam, ad Sodalitatem ac sinum Virginis, nocturni lemures compulère.

§ *8. De odijs.*

43. Vicena conjugum paria Viennæ Professorum Patrum operâ dissensiones exuère, magnâ erga pacis authores benevolentiæ gratiq; animi testificatione. Labaci gener moriens, cum socero; Flumine, duo fratres; Crembsij filius cum patre in gratiam post odia difficillima rediêre. Tyrones alterum ab alterius jugulo, cui hostem præfocaturus jam imminebat, prohibitum in-

ami-

amicitiam reduxere. Tergesti quidam hosti, Varasdini alius conjugi necem dum machinantur, machinosas inimicitias posuere.

§ 9. *Contra desperationem, Dæmonémq; adjuti.*

44. Quibus ereptâ spe tetcrrima consilia, & meditatam in se ipsos tyrannidem persuasit dæmon, fuère complures; atque hos inter etiam religiosorum non nemo. hi omnes ad spem reducti sunt.

45. Domus Professa Viennensis quinos numerat, quos egestas, vel amor improbus dæmoni manciparat. Fæminæ, quæ ex illo numero una fuit, in agro mæstæ adfuit liberalis nobilis personâ tectus dæmon, ac pecuniam dedit nec nomen adjecit, sed benè sperare jussam reliquit. Illa brevi ob alienorum nominum molem in custodiam data, eundem, sed jam elegantis juvenis specie tectum, coram adstantem, ac datæ pecuniæ solutionem petentem vidit: neq; quis esset, nisi è contactu agnovit. Detestata est è vestigio facinus, ac facilitatem suam: neq; se ab illo, nisi post plures horas, ac tunc ægerrimè, potuit expedire.

46. Græcij unus à dæmone ad Deum rediit. Is in flore ætatis juvenilis venatoris cujuspiam consuetudine ad rem augendam eo

ſeptuageſimum vitæ annum cum proco dæmone in tacendis dehoneſtamentis horrendè volutata, per concitatam cœli intemperiem in agros & vineas, per artes alias in homines ſæviebat, rea viginti quinq; capitum è medio ſublatorum. Curati accerſitu evocatus noſter, quartâ demum eâq; robuſtâ allocutione illam ut reſipiſcere vellet, induxit, divinâ gratiâ de dæmonis miſeram variè percellentis fraudibus triumphante. Æternitatis memoriam & fidem aut omnem exuerat, aut penitus ignorabat. Jam expiatam, & conſuetis amuletis munitam invaſit hirci olidi aſpectu deformis dæmon: at illa ſervavit conſtantiam uſq; ad mortem.

48. Judenburgi atræ ejuſdem farinæ veneficus, eum à quo accuſabatur, in animi deliquia conjecerat: Ajebat ſe ſalvâ interulâ comburendum, ſuos cineres à lupis pluribus viſendos, à quatuor verò aſportandos, At hæ futilitates omnes abiuère, pactione omni per ſeriam pœnitentiam planè abjectâ.

49. Scepuſij juvenis nefandis tartarei genij ſuccubi ludibrijs per ipſum ſeptenniū oblatâ variâ ſpecie animalium diverſorum ſpurciſſimè vexatus, nunc tandem apud nos à labyrinho illo eſt expeditus.

50.

50. Hoc quoq; ad Patrem mendacij referendum: quo magistro in Veneto S. Danielis oppido quædam Circe, Martha nomine, formâ liberali, nec indisertâ, cùm alias tum Tergestinas plures ad se famâ simulatæ sanctitatis pellectas mille venenis impleverat, malo latiùs increbrescente, ac stragem edente, usq; ad Sanctimonialium cœnobia, deliris id genus irritamentis, & aberrationi opportuna. Martha se sine prima labe conceptam; Verbo personaliter unitam, sacræ Synaxi sacramentaliter ita seu præsentem sive permixtam, ut cum Christo Martha etiam sumeretur. Nostri sectæ apud Ordinarium, tùm palàm scripto, & ad concionem dictione plenâ ita larvam detraxerunt, ut sub sacrificio solenni coram Ordinario personæ inter primores non postremæ delira illa somnia sint publicè detestatæ, celebri ubiq; gaudio civitatis; Sanctimonialium verò tanto, ut datis per campanas & organa lætitiæ signis hymno Ambrosiano Deo laudes & gratias publicè pro errore agnito decantârint.

§ 10. *Industriæ.*

51. Inter alias, quibus pacis tempore pro bello à nobis instrui solent ij, qui nobis conscientiam suam credunt, industrias, est memoria Crucifixi. In hoc signo vicit Vi-

ennensis ille, formâ & pudicitiâ quàm lauta re felicior juvenis. Hujus oris elegantia major erat à venusto quodam castigatæ splendore modestiæ, cujus radij fæminæ cujuspiam nobilioris quàm castioris oculos in amore duces, & linguam ad petendum id quod dedecet, idemq; muneribus, & mollibus illecebris iterum iterúmq; urgendum accendere. Sed ille ab illo ignis ardentis stagno se jam olim in libertate assertum lætus, cùm aliter jam non posset se à periculo expedivit, impudenter amanti incusso quantâ maximâ vi potuit colapho, pro seriæ repulsæ mnemosyno. Duas verò puellas idem in suburbano ausas flagitium flagitare, acrè correptas, casto consilio ad desertæ propè castimoniæ castra sancta perduxit. Vnde autem tantùm sibi coortum esse virium existimaret, interroganti nostro, ut olim studiosè quæsitas occasiones nunc tam fortiter propulsaret Crucifixo, & uni cujusdam è Societate Patris industriæ consilióque ista se ex asse debere respondit, quo edoctus esset prius quàm domo exiret Crucifixo ardens osculum impertiri, seq; incruenta illa certissimæ victoriæ ac pacis asyla, vulnera morientis abscondere.

52. Styræ hoc primum anno veterem aliorum Collegiorum industriam imitata

ulti-

ultimo ante cineres die de templo noſtro, Eucharistiam effuſiſſimæ tunc licentiæ unicam domitricem, ſolenni ſupplicatione, flagrantibus ordinum omnium ſtudijs frequentiâq; per vicina templa, eóq; feliciora compita perquàm apparatè circumduxit, Sodalitiorum labaris, funalibúſq; pompæ celebritatem, támq; nobilis incitamenti ſucceſſum, cumulatè augentibus.

53. Viennæ ad acuendam catecheticæ inſtitutionis gloriam, in parentibus parvuliſq;, è Profeſſorum æde ad S. Stephani, educti facile bis millenis plures parvuli parvulæq;. Ibi coram pientiſſimo Antiſtite, collachrymantibus gaudio teneriore parentibus datum ſpecimen doctrinæ cœleſtis, Antiſtite velut in diribitorij loco, diribitoris præmiorum, tanquam ſacrorum ſtipendiorum munere liberaliter functo; & pretioſis illis innocentium choris, cum eodem quo venerant ordine, concentibus, & ſymbolis, ad Cæſaream Reginæ DEI MATRIS columnam pro templi noſtri foro reverſis, & iſtic Litanijs jucundo uſq; ad ſenſum tenerrimum atque ſuaviſſimum concentu decantatis. Judenburgi triumphalis currus auxit matutinum illius doctrinæ ſpectaculum, tantámq; traxit affluentium populorum vim, ut ſolennitas tria templa, noſtro

nequaquam omnes capiente, impleverit. Vbi demum maturioribus Angelorum panis, parvulis præmia distributa.

54. Illa vero apud Viennenses professos fuit industria charitatis. Nam quemadmodum in aula Augustis authoribus, fæminæ Principes, de Patribus in Professâ Domo eleemosynâ tractandis, in Curia Cæsareâ sorte ductâ convenère, quo quævis die esurialium Patribus prandium, seu cœnam, eleemosynæ nomine submitteret, Augustis per festa Paschalia liberalitate suâ ibidem cumulatè perfunctis, ita, nostris authoribus convenit lecta Nobilitas Viennensinm Matronarum, ut collatis symbolis, tempore inter natales Christi ac esuriales ferias interjecto, bis quot hebdomadis epulum egentibus, per quina Nosocomia & Xenodochia, & terna ergastula præberetur symposio hujus anni Præfectâ viduâ, filij Principis filiá, penes quam esset piæ hujus Oeconomiæ ordo seu ratio & administratio universa. Vel unico in loco ij, qui liberaliter habiti sunt, septingenti fuère.

§ II. *Hoc anno in hac Provincia vivere desiére.*

55. Primus P. MATTHIAS WOLFFGANGI Crembsensis, Passavij, ipso Purificatæ

DEI

Dei Matris die, vir ubicunq; demum degeret, Novitijs, Veteranis, domi & foris modestiâ semper tranquillâ & renidente utilis, & amatus. Leobij speculum fuit Novitiorum, dum socium ageret Magistri Novitiorum.

56. Alter Goritiæ. P. Joannes Orso Tergestinus, pridie Nonas Martij longâ tabe absumptus est; quæ etiam intercessit, ne arduas missiones, quas animo toto amplectebatur, obiret. Morti ergo pedententim venienti se per orandi studium, ac perpetua sui demittendi & charitatis officia, deniq; per quotidianam animi in Sacramento pœnitentiæ expiationem parabat.

57. Tertius, simili morte confectus est 15. Aprilis M. Franciscus Baronus Tyrolensis; & in Junio Lincij hunc secutus Joannes Schönberger Coadjutor, uterque mansuetissimæ modestiæ innocentiâ sine dolo candidus, promptus, ac integer.

58. Quintum funus 16. Junij fuit Styræ P. Michael Werndl Græcensis, condito prius religiosissimo pietatis testamento, & imminentis corpori tabescenti mortis expectatione omnium horarum vir, id est, in horas in omnibus quæ agebat paratus ad mortem,

Ibidem 2. Julij, P. EVSTACHIVS STAAL, Luxemburgensis, ejus Collegij Rector, P. Michaëlem Ministrum secutus est, illud identidem ingeminans: Testem habemus in cœlo fidelem. Disciplinam exemplo & humilitate urgebat; ipse Patrum ad ægros animam agentes exeuntium socius aliquando, ubi deerant domestici adjutores.

59. Septimum Græcij mors abstulit 12. Novemb. P. GEORGIVM TANNER Professum, de Convictu & Collegio exquisitâ industriâ laudate commeritum: virum in spiritu & re domestica prorsus Oeconomum gnavum, utilem & amatum.

60. Post hos die S. Thomæ Apostoli celebri funerum agmen clausit GEORGIVS TIIZMAN, Halæ natus, Coadjutor insigni maturitate, ac spiritu munere suo functus: examinis quod particulare vocamus, etiam in gravi morbo admodum retinens, cœlitum cultui religiosè addictus, quorum gloriæ dabat, quod ultimo vitæ decennio nihil senserit, quod inobscurare posset, nedum inquinare castam & candidam illam pacem puræ mentis & corporis.

§ 12.

§. 12. *De Missione Turcica Quinq; Ecclesiensi, seu Pechinensi in Hungaria.*

61, Patres duo hac in expeditione versantur semper inter malleum & incudem, in metu à Turcis, in invidia ab Arianis & Calvinistis, in labore apud Catholicos, in fame ac ærumnis domi, & foris. Irruunt in domum Patrum Turcæ, ac posteaquàm omnia stipe difficili acquisita, militari petulantiâ vel abligurivère, vel alias pessumdedère, harpyiæ infelices, si forte domi parùm idonea repererint ad salivam, tum demum hospites domesticos accipiunt fustuario liberali. Quocirca patribus frequenter in stabulo quopiam, aliisq; latebris est delitescendum, ut periculo se subducant. Nuper mortem suam unus fugæ tempestivitate redemit, ad quam illi consciscendam duo Turcæ milites jam domi bibebant, ut plus animi atq; ferociæ ad designatum scelus adferrent. Sed qui mortem tunc effugerat, posteà è concione redux, cùm Turcis domi vinum petentibus præbere, ita ut illi volebant, non satis posset, humi profligatus, oppido quàm inclementer & barbare pugnis, calcibus, fustibus est mulctatus. Atque his aliud non est nisi pecuniarium remedium, ad accusationem apud Magistra-

tus tunc demum valituram, ſi argento inſtructa ſit; cùm tamen etiam ſic empta quies longa eſſe non ſoleat. Ita nuper precibus & donis redemptum capitis periculum, in quod apud barbarum Dominum, ruſticus Patrem è noſtris alterum conjecerat, ob negatam poteſtatem alterius ducendæ uxoris, loco ſuperſtitis alterius, quam ſuſpiciosè dimiſerat. Prægrandis ea Turcæ viſa in noſtro audacia, quod Mahometo repudij libellum, & uxores plures unà concedente, ipſe negaret ruſtico id petenti, & ob negatam illam veniam, irâ ubique ac libidine perfrementi.

62. Sed hæc annis anteactis familiaria. Hic verò annus aliorum infelicitatem funeſtis perſecutionibus ſupergreſſus, oſtendit, quid ſit inter Turcas & hæreticos eſſe Catholicum, & quidem Sacerdotem. Haidones, nomen eſt militum Hungarorum, genus volaticum, & inquieto marte infeſtis in Turcas armis, per ſylvas, campos, pagos obvolitans, prædabundúmq; ad ipſos Turcas in prædam abripiendos, partim cœdendos. Abduxerant hoc anno vi Haidonum non ſemel Turcas non paucos, eóſq non vulgaris notæ, aliáq; damna longè ac latè pervagati intulerant. Horum, utpote Chriſtianorum, receptatores audiebant apud Turcas

Chri-

Christiani Catholici, & Patres: apud quos etiam nocturno usos hospitio Haidones dicebant. Eapropter Constantinopolitano Præfecto, qui tunc fortè advenerat, campus non sine magno miserationis sensu ostenditur in quem Turcis incolumi capite progredi non liceret ob Hungaros, à quibus tot jam cœsorum Turcicorum capitum sanguine non ignobili, terra illa sæpiùs fuisset imbuta; & alij nec pauci, nec obscuri nominis Turcæ in captivitatem abrepti. Horum reos esse, qui Hungaros hospitio accepissent, patrocinio texissent, cibo fovissent. Ea res ansam dedit barbaris, ut quivis quemlibet Hungarum, pro iræ in illum conceptæ libidine accusaret, ut receptatorem Haidonum. Ergo passim capi Christiani, & ad supplicium postulari. Civium præcipuorum quidam declinandæ tantisper tempestati consueto aliàs remedio se inde subduxerāt, Patribus quoque, ne sanguinariâ illa procellâ involverentur, abductis. At Patrum altero cum ijs, qui abibant, manente, alter se ad redeundum perurgeri adeò sensit, ut parendum cœlesti illi instinctui omninò decreverit, ad solatium publicæ calamitatis, ad Societatis genium etiam inter adversa constantem ostendendum; ad miseros Christianos, ope si quâ posset, vel ad libertatem,

vel

vel ad mortem feliciorem adjuvandos; ad exempli deniq. documentum, imitatione Sacerdotum naſcentis Eccleſiæ, atq; capitis periculo ſanciendum. Reducis Patris, domus à Turcico milite ſtatim circumdata: & jam rumor latè diditus, Patrem ad ſupplicium deſtinatum ferebat: quæ res magnâ Chriſtianorum aliorum comploratione, Turcarum quoq; non paucis adnitentibus, ad Imamum (Turcarum velut Epiſcopum) & ab illo ad Sche, ſupremum ſacrorum Antiſtitem, ab hoc deniq; aliiſq conſenſione communi, ad Haidiam omnium judiciorum Præſidem perlata, conglobatis quæ in rem præſentem facere, ac Turcis periculum oſtendere, metúmq; incutere poterant argumentis, effecit, ut Haidia Præfecto ac Ducibus extemplo ſignificaret, nunquam à ſe ſubſcriptum vel approbatum iri, ſi quid in vitam Chriſtiani Sacerdotis molirentur, ſine cujus tamen approbatione, ne ipſe quidem Imperator aliquid exequatur. Hanc in libris ſuis, juréq; dicendo legem inter cæteras Solimanni ſanctam eſſe, ut ne Sacerdos Chriſtianus ullus morte plecteretur, nec fas eſſe legem illam infringere. Hâc authoritate abſolutus Pater, agebat quà muneribus, quà reliquo induſtriæ ingenio apud Turcas, ut ſeptemdecim illos, quos ad palum

lum damnârunt Christianos libertate donaret Sed id nullis viribus potuit obtineri. Ergo septendecim illis è flore Christianorum selectis, in palos ad 4. civitatis portas actis, cùm Pater ubiq; quà poterat satageret, cùm quidam dum in ferale illud è ligno veru traherentur, tormento essent immortui, alij verò ad usq; diei dimidium in sudibus essent superstites, eorum unum aliquem à peccatis absolvit, cùm illac dissimulanter transiret, quasi ad pagum proximum abiturus. Idem Canisiæ sumptum fuisset de alijs supplicium, nisi Turcas proximorum Hungarorum militum metus absterruisset. Szigethi autem è pluribus eodem pali tormento internectis, unus enixè suos oravit sub mortem, ut ex eo quod domi habebat argento & auro, 30. florenos, sive decem aureos Vngaricos, Quinque-Ecclesijs nostro Patri darent, ab eóq; peterent Missæ Sacrificia pro mortuo celebrari. Sed Hungaris in ulciscendum intentis, terrore impleta sunt omnia, ita ut ne in vicinos quidem suos pagos, imò nec ex ipso præsidio pedem securi Turcæ possent efferre, uno è Turcis primoribus propè ipsas Quinque-Ecclesiensis civitatis portas ab Haidonibus obtruncato: & excursoribus omnia ubiq; infestà manu implentibus, lau-

táſq; prædas agentibus ; maximè poſteaquàm ipſo Aſſumptæ in cœlum MAGNÆ ac BEATÆ DOMINÆ (ut Hungari vocant) die, ſedecim Turcarum millia, quæ parvum Comaronicum invaſerant, in fugam acta, & duo ex illis millia internecioni ſunt data. Sed ſeu vincant Chriſtiani, ſeu vincantur, utrinq; noſtris eſt patiendum. Vnde verè in labore ac patientiâ in perpetuo vitæ mortiſq; confinio poſſident ſuas animas, & animas Chriſtianorum ſub jugo barbaro gementium, ut ne in illis pereat nomen & ſanguis Chriſti.

ANNVÆ PROVINCIÆ BOETICÆ, 1652.

I.

HÆc Provincia in XXIX. domicilijs complectitur ſocios 427. Sacerdotes 198. Septem vitâ functi; totidem in Societatem admiſsi.

§. I. *Fidei & Sacramentorum propagatio.*

Sanctilucæ duo peregrè hoſpites ab hæreſi læti in ſinum Eccleſiæ conceſſere. Gadibus unus, Xereſij duo Mauri Mahometem cum Chriſto commutavère baptiſmo ſacrati.

2. Con-

2. Conciones, & institutio Catechetica insigne in Sacramentis emolumentum tulere, crebro fulmine in vitæ lubricæ corruptelas vibrato. Quâ in re luculentis terroribus duas potissimùm servavit Deus. Earum altera virum Ecclesiasticæ Sanctitatis dehonestamentum, ad præstitutam sceleri horâ operiebatur meretricio sacrilegio ad speculum sese comens, cùm obscœnum illum Ecclesiasticum, repentino morte improvisâ scelus antecapiente, concidisse audivit; & muliebri mundo abjecto, lacrymarum ac doloris plena, ad nostrum pro digna totius vitæ expiatione facienda accurrit; simúlq; cum timore ac tremore divinæ justitiæ misericordiæq; arcana, quód illi repente in mortem corruenti, superstes ad pœnitentiam & spem salutis viveret, adoravit.

3. Altera à lenone nobili, festis potissimùm diebus persæpe lacessita, cùm flagrantissimis precibus ab illo Satanæ Angelo libertatem à Deo postularet, pluribus jam palmis gloriosa, sed etiam vincendo jam fessa, & pudore & timore cooperta, se tandem à DEO auditam intellexit dum audiit illum eadem horâ, quâ ad flagitandum illud scelus solebat adventare, à famulo jugulatum.

4. Qui-

4. Quidam cùm se ad Sacramenta à Deo per conciones perurgeri sentiret, surdo corde præterijt, Accurrit tamen sine cunctatione; primo quodam diluculo ad animum obstinatè rebellem, jam demum dolore serio subigendum. Id quod ut faceret, ajebat se hâc per quietem imagine commonefactum. Ajebat petram se clausis ad quietem oculis aspexisse quæ cavo sinu, eóq; gemino spectabilis, altero lætum apum egredientium ac ingredientium ultro citróq; examen ostendebat. Ex altero petræ hiatu prorepebat serpens, qui horrendo morsu miserum hunc in specum, velut in tumulum, pertrahere nitebatur. Huic dum obluctaretur, somno solutus est, atq; ad Patrem, se de serpentis morsu liberaturus, accurrit. Lætum verò apum examen illos esse piè interpretandos credidit, qui illis diebus frequentes ad sacramenta expiandi accesserant, ut sugerent mel de petra, in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.

5. Inter missiones illa quoq; luculentiore fructu nobilitata est, quæ fuit apud eos, qui ad argenti vivi fodinas damnati Magistratui pœnas pendunt. Sed & cives intra mœnia, missionis emolumenta percepêre, institutis sacris hisce expeditionibus, domi quoq; intra civitatem Guadirensem, Biazen-

zenſem, Anduxarenſem, & SanLucarenſem, magnâ populorum quà frequentiâ, quâ utilitate. Apud Anduxarenſes procax horum irriſor miles factus eſt divinitùs incitamentum ad ea, quæ petulanti rictu exploſerat, & importunè turbaverat ſtudia pietatis, improviſam ejus mortem eò referentibus omnibus, qui intemperantem hominis cachinationem nôrant. Nam qui civium & coamicorum pietatem irridebat, verè à DEO irriſus videri poteſt, Etenim inter explodendum ſclopetum, pyrio pulvere fiſtulam ferream effringente, diſcerpta fruſta hominem internecino caſu proſtravere in mortem.

§ 2. *Fames, & Dedicatio Eccleſiæ.*

6. Famem trepidatio, & quædam rabies popularis eſt comitata, ijs qui eſuriebant, contra eos, qui annonæ rebus præſunt, pertumultuose frementibus. Tranquillari noſtrâ quoq; induſtriâ debuit turbulenta concurſio tempeſtatis. Et præter hæc Granatæ ſupra pecuniam, & jam trecenti panes, ac alia alimenta è Collegio, cùm ad portam, tum ad vicos pauperum diſtributa. In San Lucarenſi Reſidentia precario vivimus, nec tamen ſua defuit liberalitas paupertati. Quod in Societate jam ſæpè uſu probatum eſt, iſtic etiam uſu-

venit,

venit, quòd cùm domi non nisi unicus panis esset, atq; prandij tempore imminente, honesta fæmina sibi esurienti panem flagitaret, ac Superior domesticæ licet conscius egestatis, dimidiam tamen panis partem illi dari jussisset; nihil moratâ fidelis Dei liberalitate, mox à frustulo illo in eleemosynam dato, ab alia pia fæmina tantùm nobis panis submissum sit, ut illud in triduum totum abunde suffecerit; ut sic Deus jejunitatem nostram ad liberalia charitatis viscera experimentis antiquis & novis excitaret.

7. Hic etiam annus Vtrerensis templi nostri elegantiâ & mole visendi rationem celebraxit, SS. etiam Sacramento in novum templum, piâ domesticorum extrariorúmq; pompâ translato

§ 3. *Sodalitates B. V.*

8. Præter eam, quæ Hispali apud Professos, cùm ipsius tituli eminentiâ, tum Nobilium Sodalium claritudine magnas exemplo suo utilitates parit, Sanctissimæ TRINITATIS Sodalitatem; sunt etiam MARIANÆ. Gadibus, Episcopo rem admiratione, benedictione, lachrymis prosequente, à Sodalibus supplicatio instituta, ad famem avertendam, quam perpetua pluviarum inopia minabatur. E nostro templo per celebriora templa & plateas ad preces circumducta

ducta fupdlicatio alios paffo, & cineribus afperfo crine ducebat; alios funibus, crucibus alios, onuftos dabat ob oculos. Multi nudipedes, omnes pijfsimo in filentio ferio publicam rem agebant apud Deum. Hifce pietatis exemplis invitati etiam alij, tandem falutarem è cœlo pluviam elicuère.

9. Cordubæ de Nobilium Sodalium cenfu Senator urbis unus deligitur, qui tempeftivis confilijs, apud Judices authoritate ac precibus pauperum lites ad finem optatum provehit, magno pauperum folatio, reíq; familiaris ac breviandarum, quæ aliàs in longum porrigarentur, caufarum compendio.

§ 4. *De S. P. Francifco Xaverio.*

10. Antiquariæ fæmina acutis capitis doloribus cruciata, dolorem concepto ad S. Xaverium voto confeftim difcuffit. Malacæ de fefto Xaverij quotannis gloriosè colendo pia fæmina piâ opulentiâ providit: eidémq; fancto in Parochiali quoq; S. Joannis templo altare erectum eft.

§ 5. *E vivis hoc anno fublati.*

11. Præter Coadjutores tres virtute ordini fuo confentaneâ laudatos obijt DIDACVS DE SANT OMER Scholafticus Novitius Iprenfis Flander, præclarâ fidei inter hæreti-

cos

cos defensæ, Deiparæ Virginis eximiè cultæ, ac dignâ Novitio pietate atq; modestiâ & demissione notabilis.

12. Granatæ desiderati P. BALTHASAR MENDEZ, & P. ANTONIVS GORMAZ professi, qui ætate ingravescente judicio quoq; capti tamen mira pristinæ dum sibi constarent pietatis vestigia prodebant, insigni exemplo.

13. In Collegio Gaditano Rector vitâ cum officio perfunctus est P. JOANNES de ARMENTA, inter illustria concionatorum serio ac solidè divina tractantium decora reponendus. Apud Vtrerenses desijt vivere P. JOANNES GASPAR, at ipse Professus. hunc nec sacra tribunalia, neq; concio absterrebat, quominus domo exeuntibus comitem se se demissè obedienterq; adjungeret, vir obedientiæ studio accurato, usq; quaq; ac undequaq; addictus.

ANNVÆ PROVINCIÆ BOHEMIÆ 1652.

Socii DC.

§ I. *Ecclesiæ Catholicæ propagatio.*

1.

Illorum numerus, quos operâ Sociorum Ecclesiæ suæ adjunxit Deus, hoc anno est plus

plus quàm *quindecim millium, quingentorum quadraginta* capitum, inter quæ nobiles plures: at potiſsimùm Niſſæ Erhardus Ferdinandus Sac: Rom: Imp: Comes Truchſes, S. C. Maj: à cubiculis, & Chiliarcha. Egræ adjuvit labores noſtros in hæreſi evertenda mandatum Cæſareum, quo urbe exeſſe juſſi ab Eccleſia Catholica alieni, ubi Lutherum abjuravère, 286. Patresfamilias. Miniſtri hæretici filius, graviter ſaucius, ſuſceptis Catholicis Sacramentis, quibus ad ſupremam luctationem parabatur, ad omnium admirationem primùm melius habuit, tandem convaluit.

2. Egræ inter Neo-Catholicos cenſus etiam æger quidam, quem dæmon ut in hæreſi attineret, per magum cryſtalli inſpectorem, de morbo ac mortis genere edocebat: Et Olomucij Matrona illuſtris, quam ut ad Catholicos inclinatam vidit pediſſequarum una quæpiam, dixit ſibi Dominam ſuam per quietem viſam, diris tormentis apud inferos cruciari. Verùm didicit ſæpè id genus phantaſmatum dæmonem eſſe authorem, ut in Pilati domo.

3. In Fridlandica miſſione, bulbus triennio ante à ruſtica ſatus, hoc anno florem excluſerat: inde rumor, calicis imaginem fidei ſuæ argumentum in herba apparere.

Et advolavit ad ſpectaculum omnis mox latê circumvicinia. Noſtri præſentibus Ditionis Præfectis, ungue vanum miraculum præcidêre. Effectum tamen longo labore, ut 150. errores ponerent.

4. Reſipuit etiam Pragæ poſt menſes aliquot, & temeritatem pœnitentiâ diluit juvenis ſui impotentior. Is cùm non eſſet ad Theſes ex Philoſophia apud nos audita defendeudas admiſſus, dediſsetq; propterea verbis pœnam commeritis læſo Profeſſori excandeſcentiæ cauſam, ab illo per incogitantiam repentè incitatiùs quàm par erat rem agente, alapâ eſt caſtigatus. Quare ut pœnam ſumeret de hac inconſiderantia Profeſſoris fictè quidem, ſed ſerio ſcandalo, ad hæreticos abijt, & miſerabili hoc vindictæ genere, in ſe potiùs, quàm in Magiſtrum deſævijt. Monuit tamen exemplo, quid à Magiſtris prudentia, quid vêſtis ipſa religioſa requirat.

5. Znoymæ unuſquiſpiam febri toties quoties die vetito carnibus veſcebatur correptus, authoritatem adjecit rebus Eccleſiæ, cujus præcepta his vindicationibus defendit mirabilis Deus. Bibliothecæ luſtrandæ nobis commiſſæ, ad eliminandos iſtinc hæreticos, magicos, aſtrologos, ſuſpectos, &c. Matrona nobilis plures id genus libros

libros ære suo emit, ut nobis eos exurendos daret.

6. Nec orthodoxæ tantùm Religioni, sed religiosis quoq; Ordinibus felix hic annus illuxit, cooptatione novorum tironum è scholis nostris, sese ad Christi militiam recipientium, septem & septuaginta. Vnum Olomucium vicenos quaternos dedit.

§ 2. *Beatissima Deipara, ejúsq; Sodales.*

7. Fuit è Sodalium sacro cœtu, qui minùs pudicam imaginem expositam ne venum iret, periculum factura emptoribus, ipse suo ære mox ut emit, palàm pessumdedit.

8. Glacij Sodales cives anniversariam defunctorum Sodalium memoriam ita coluère, ut per hebdomadam in atrato suo oratorio quotidiè Sacrificium pro illis procurárint, eidémq; adfuerint. Congregatio artificum juniorum quotmensibus è suis triginta designat, qui SS. Eucharistiam cùm ad ægros deportatur, ordinatim comitentur.

9. Deiparæ Matri per particulare, ut vocamus examen colendæ studio quidam Sodalium ad lautiùs bibendum æquo propensior, per totam B. V. octavam à vino abstinuit,

nuit, adjectâ etiam acri ac diuturnâ verberatione. Olomucij vir è S. Annæ Sodalitate primarius, in peregrinatione quos viribus defectos videbat, suo currui imponebat, pedes ipse currum secutus, adeóq; lætus illâ permutatione, ut se per iter nihil unquam gratiùs DEO diceret obtulisse.

10. Nissæ Sodalem suum Virgo Mater incolumem Sodalium precibus dedit. Medicis enim nil spei jam relictum dicentibus, eâ ipsâ horâ, quâ ille Sodalium precibus commendabatur, vires sibi redire persensit, surrexítq; repentè incolumis.

11. In binis Residentijs, inquiunt literæ, Provincia Bohemiæ, quasi Prætorianam cohortem constitutam habet Magnæ Matris cultui promovendo. Ad montem sacrum, edito libello auctæ industriæ, sacris loci originibus & miraculis à capite percensitis. Adjecta æri incisa imago, & Pragæ piè inflammandæ sparsa. Magnâ vi omnis ordinis multitudo affluxit, rumore didito, nobilem prodigijs B. V. imaginem in templo Salvatoris Societ: JESV palàm venerationi esse expositam. Et respondent beneficia pietati. Ad Krupnensem Deiparam, nostrorum opera multifariam celebris est. Ad Nascentis Deip: diem, x v. millia peregrinorum censa. Foyensis statua in edito

Olber-

Olberſtorfenſium monte, item Swidnicenſis Deiparæ ſtatua, pro curiæ foribus veneratione ſuâ ſpei publicæ jaciunt fundamenta. Canunt Catechetici noſtri alumni, ſupplicatio ſolennis agitur, attonito ſilentio muti hiant palàm hæretici, domi fremunt; & triumphat Virgo!

12. Hæc etiam è Sodalitijs, certè de ſcholis, ſunt. Znoymæ adoleſcens ingenio ſuo dextrè vitrum à ſaga extorſit, in quo aranei ſpecie dæmon comparebat ad reddenda oracula, per cruces, & implicatas verborum periodos evocatus. Hradiſtij alius eventû meliore quàm conſilio, die quo per Eccleſiæ authoritatem carnibus veſci non licet, audijt ab hæretico Patrefamilias juſſas igni carnes in prandium admoveri. Ergò ille, occaſioni imminens, ubi deprehendit illũ ad Synagogam Sathanæ ad audiendum ſuũ fabulam abijſſe, clam ſe in ædes penetrans, repertum neſcio ubi, & huic ſervatum conſilio prægrandem bufonem, inconſcijs omnibus in ollam (è qua carnes priùs ejecerat) conjecit, ſeq; inde clandeſtino ſubduxit. Reduci à malè feriatis hæreticorum ſacris marito uxor prandium paratura, cùm ſe carnes ex olla in paropſidem putaret effundere, bufonem illum, ipſo marito fortè adſpectante, effudit. Quod ſpectaculum

conjuges fraudis nihil admodùm ſuſpicatos, ut repentina & inopinata ferè graviora ſunt, ita inopinatò attonitos, & ſilentio pallidos in eam extemplò mentē adduxit, ut Poſonium in Vngariam abierint, hæresímq; exuerint, mirabili Dei conſilio, ex inconſulta illa juvenis jocatione tam ſeria eruentis.

§ 3. *Sanctorum in ſuos beneficentia.*

13. Niſſæ matutina poſt Sacrum, quod Rorate vocant, per Adventus ferias dictio, tametſi in ſemihoræ circulum coacta eſt, utilitates tamen permagnas affert. Feſtâ S. Barbaræ V M. luce in profluentem Bilam delapſa mulier, memor antelucanæ paulò ante auditæ dictionis, quam de mirabili erga ſuos S. Barbaræ tutela noſter diſertè habuerat, voto ſacræ quotannis Synaxeos S. Barbaræ die adeundæ concepto, propitiam ſenſit Sanctam. Etenim eo ipſo voti nuncupati momento, ſecretâ quâdam vi elevari, & prehenſo brachio ſub glacie ſenſit ſe perduci ad littus, luculento, nobili, atq; ad incitandam admirabilis hujus Parthenomartyris pietatem, valituro exemplo, incolumis.

14. Beneficum S. P. N. Ignatij nomen, quà

quà lipſanis, quà imagine, quà modis alijs adfuit, opitulatúmq; eſt puerperis plus quàm ſeptuaginta. Sola Oppavia vicenas ex his recenſet. Glogoviæ, ne hæreticæ quidem illi articulo ſe accingunt ſine ſancti hujus numiſmate.

15. Egræ infelix umbra fæminæ à fide ad Lutherũ devolutæ, atq; ita extinctæ, clarâ luce cubiculum, incredibili eorum qui hæc videbant horrore infeſtũ habebat: ſed affixâ conclavi illi S. P. Ignatij imagine, tranquillata ſunt omnia, dum poſt longiora temporum evolutorum intervalla ludentes pueri eam imaginem ſuſtulère, quo velut ſigno dato tremenda larvæ effigies reverſa, ſed aliâ rurſus Sancti Ignatij affixâ effigie depulſa eſt. Magna & Regino-Hradecij, conqueſtio. ubi è lemurum tribu, hominibus in villa & pecori moleſtus, ſi quotidianum obſonij penſum mulierculæ fortè non attuliſſent, tanquam laribus, vel penatibus, minaciter furentérq; tumultuabatur. Noſter ſacrâ obteſtatione, ac execratione de ritu Eccleſiæ præmiſsâ, ubi januam Imagine S. P. Ignatij communivit, hoſtem excluſit, deinceps nullo ſigno auditum. Pragæ quoque præſtituto rapiendi obligatum ſibi juvenem tempore jam evoluto, dæmon conclave, in quo deſiderata & obnoxia illi præ-

da decumbebat, ingredi auſus non eſt, januâ conclavis imagine S. P. Ignatij permunitâ.

16. Zemeticij nobilis vir hæreticus ut novi, quod ajebat, Sancti Ignatij feſtum eâ quam pietas publica moliebatur celebritate fraudaretur, invidiosè criminari, & ſuos ad meſſem aſpellere non deſtitit. Sed cœlum è ſudo turbidum, repentinâ grandine totum ejus agrum adobruit, finitimis nullo, quod meritò mirère, damno illato.

17. Male feriatorum Sacerdotum ergaſtulum, per exercitia S. P. Ignatij verſum eſt in Sacrarium aſceticæ collectionis, cùm ij noſtris eſſent dati ab Eccleſiaſtico Magiſtratu ad inſtitutionem. Partitio temporum, oratio, exomologeſes, & quicquid requirit ſors illa Sanctorum, ingenti eorum ſolatio celebrata: & illi ſuis apud animas procurandas officijs reſtituti. adeò etiam colluviaria illa loca & pectora capacia ſunt bonæ lucis, quæ Spiritus divinus per Aſceticas Ignatij flammas impertit.

§ 4. *Induſtriæ, diſsidentes, & deſperati.*

18. Arte atq; induſtriâ erat opus ad ſuſflaminanda quædam, quæ neglecta, ruunt in præceps. Pragæ minoris quinas ſenáſve domos

mos primùm ut ab infauſtis proſtitutarum fornicibus expediremus laborandum fuit. Jam totá minore Pragâ pulſæ juſſu Magiſtratûs; & Judex domos frequenter viſere, atq; id genus belluas carceribus domare eſt juſſus; facto immortaliter laudando dignóq; omnium urbium imitatione. In veteri quoq; Praga lupanaria diſſipata, Anglici hæretici hiſtriones cum impudicis fabulis abeſſe juſſi, poſtquàm noſtri coram Senatu luculenter oſtendère, has eſſe portas ad morum & innocentiæ publicæ corruptelam. Adeò jam advertit urbs illa ſapiens, nè impudici impunitatem ſibi cudant, júſq; datum ſceleri canant. patriæ ſerò hæc lubrica deploraturæ, ſi providenter & fortiter hæc initia non ſtrangulentur.

19. Religioſus quidam, ut ipſe putabat, Theologus, nec religioſum, nec Theologicum conſilium dederat Matronæ prænobili, quam juſtis de effrænatis & manifeſtò compertis mariti adulteri flagitijs dolor ad teterrima quæq; conſilia promptam reddiderat, ut maritum cicutâ è vivis extruderet. fas id eſſe in adulterum. Jam propè maturum ſcelus diſcuſsit noſter conſilio ſaniore, animúmq; meritò exulceratum compoſuit.

20. Oppaviæ difficili, ſed utilſsimâ in-

duſtriâ patroni pro pauperibus & pupillis inventi, qui non venali ingenio & linguâ illos tegerent, ſed gratis defenderent.

21. Jndomita quorundam hæreticorum duritia primùm militari manu in arces ac templa cogi debuit in bonis Comitis Coloredij. Ibi octo noſtrorum ſolertia, & aſſiduitas fatigata. Jam ſuas tenebras, admiſſâ luce, vident, & annuunt, eâ potiſsimùm adjectâ induſtriâ, quâ libellorum præſenti rerum ſtatui accommodatorum magna vis, Comitis Coloredij liberalitate, in omnem latè plebem diſperſa, libros hæreticos illis extorſit faciliùs, mutóſq; domi quoq; magiſtros conſulere docuit fructu perquam inſigni.

23. A deſperatis conſilijs abducti præter alios hi: Quidam 20. facilè vulneribus manu ſuâ ſaucius, & in ſuo ſanguine ſe volutans. Alius qui aquis, alius qui laqueo in collum inſerto, alius qui dæmoni ſe dare deſtinabat. Fæmina malo genio hortatore adſpectabili mortem ſibi parans accerſere, ut ſe à partus dolore miſerabili expediret.

24. Deniq; adjutus Regino-Hradecenſis æger, cui dæmon per anni ſpacium ad obſequia pro famulo adhæſit, & ut fune longiſ-

gissimis doloribus compendium faceret, author fuit, fune quoq; penes ægrum hac de causa deposito, animam ipse pro famularis operæ pretio relaturus.

§. 5. *Nomina vitâ functorum.*

25. Quos hic annus immortalibus adjunxit sunt ferè hi: Novædomi P. HENRICVS SCHOLTZEN, vir suavi agendi dexteritate nobilitati quoq; acceptus. P. WENCESLAVS WROTÆVS, æt: anno 67. Coadjut: formatus, Comitis Adami Slavatæ in aula vixit per annos duodeviginti Confessarius, nullo aulico pulvere sordidatus, & pauperum visendorum amantissimus; objurgari promptus, miti silentio, forti ad hibernas confessiones patientiâ, serenâ inter dolores quiete, paupertate inter aulica quoq; pericula pertinaci, charitate omnium bonâ interprete, quicquid Catones aliorum gesta carperent, dignis deniq; religioso, persanctè aulico virtutibus performatus.

Ibid: P. LAVRENTIVS CZEPAN Moravus, magnâ indole ingenij, charitatis, docendiq;, spei magnæ, intempestivè in ætatis flore ereptus.

26. Crumlovij P. MELCHIOR RÖRICHT Silesius, 62. annos natus, 4. vota prof: vir dulcissimæ charitatis, & animarum Asylum. Alter P. MATTHÆVS KALINOW-

NOWSKY, multâ in Deiparam religione, patientiâq; commendatus.

2. Pragæ 17. Martij P. ANDREAS DVBOISSON Belga, 4. vota professus, martyrij percupidus. Moriens omnibus author fuit religiosi officij absolutissimè obeundi, ne se in ea induerent, in quibus ille se de prædestinationis suæ puncto (vir tantæ integritatis, támq; firmæ virtutis) perplexum ajebat. Sed morte jam viciniore, jucundâ in luce tranquillè conquievit lætus. S. Clementis Collegium, inter belli & pestis procellas in egestate ita gubernavit, ut etiam liberaliter suos haberet. Procuratori officium integrum relinquebat, oculo Rectoris illud introspicere contentus Acri, placido tamen ingenio, charitate &, periculo pestis prolixâ, literaturæ omni tradendæ idoneus, & addictus. Nec sanus, nec æger sitim extra consueta tempora levavit, sitim siti pellendam dictitans. Cùm in Vrbe tuenda necessitas postularet, ipse commeatum dedit, signa præivit; nec statione cessit, nisi saucius. Vnde illa de illo FERDINANDI III. Imp: vox: *Non mihi persuasissem, tam generosos animos, in tam modesto religioso habitare.*

27. Ibid: 6. April: P. MELCHIOR OLENIVS, 4. vota professus cùm esset ingenio ad

Phil:

Phil: & Theol: docendam aptiſsimo lubens Miniſtri ac Procuratoris munus geſsit, approbatione inſigni, labore magno inter hoſtiles curas. Linguæ ultimos conatus in illa verba explicabat : *Mater Dei, memento mei* ! omnis in conſcientia laxamenti averſatione tenerrimus. Ibid: ANDREAS MAYNKE, Coadjutor præſtans, mirè omnium voluntatibus charitatem ſuam accommodans, obedientiæ ac pietati totus cereus, labori ferreus. Literarum quidem rudis, tamen legum noſtrarum & de imitatione Chriſti libellos penes ſe habebat ut illos opportunè alicui legendos offerret, atq; audiret. JOANNEM quoq; BARTSCH Wartembergæ morientem, orandi & laborandi gnavum, laudes magnæ ſecutæ.

Apud Czeikovienſes P. MARTINVS PODLEYSSI Coadj: form: magnæ modeſtiæ, ac laboris in ſcholis, & miſsionibus exantlati.

28. Gitzinij Rector Collegij P. JOANNES CZERNOWSKY, fructuoſæ orationis ac exempli vir. 4. vota & profeſſus, & magnâ virtute planè commeritus. Wratiſlawiæ P. HIERONYMVS FABER, & ipſe Rector. magnæ & in hoc dotes, ac ſupra communis laudis metas virtus, ut in priore; etiam pridie quàm moreretur, in ſe flagellis animad-

ver-

vertit. Somnus illi nunquam ultra communem legem productus: paupertas etiam è cœlo adjuta manifestis argumentis. Nam die S. Nicolai, cùm in sacculo nil haberet, Sancto Nicolao implorato, tantùm in vacuo hactenus sacculo argenti reperit, quantùm præsentis mendici egestas postulabat. Putantur bonæ ab igne Purgatorio animæ illius suffragia flagitâsse. Examen particulare, ne in supremo quidem morbo intermisit. Post Philosophiam bis doctam, conscientiæ ac fidei quæstiones laudatè explicuit.

ANNVÆ PROVINCIÆ FLANDRO-BELGICÆ, 1652.

CEnsa sunt in hac Provincia undeviginti domiciliis distributa Sociorum capita universim 750.

§ I. *Res Catholica promota.*

1. Ducentos & circiter quadraginta reperio nostrorum operâ hoc anno ad veritatem Catholicam accessisse: Bruxellis 18. Antverpiæ 44. Ipris 60. in castris unicus plus quàm 30. alius 40. numeravit, quos Christo lucratus est. Plurimi alij domi & foris

nume-

numerum converſorum non produnt, rem geſsiſſe contenti. In caſtris levitati & inconſtantiæ obviam itum illâ induſtriâ, ut qui ſe Catholicis Sacramentis adjungebant, in Præfectorum & commilitum coronâ verbis ſolennibus Sacramentum dicerent Catholicæ Religioni. Cortraci anabaptiſmū exuit unus, id quod cultæ à ſe in errore quoque illo ſuo divinæ Matris beneficio acceptum refert.

§ 2. *Sacramenta utiliter uſurpata.*

2. Communione menſæ divinæ hoc anno in templis noſtris recreatorum numerus propè ſuper numerum eſt, ſi confletur. Lovanij fuère 55631. Bruxellis ad feſta Deip: plerumq; quinq; , interdum ſex millia: in menſtrua communione generali ſex aut ſeptem, ſubinde octo millia. Hinc de reliquis conjectura eſto. Quidam qui longiſſimo ſilentio premebat ſcelus quodpiam, quod gravem ſibi pœnarum mulctam irrogatum iri metueret, facilitate noſtri itèr illac habentis reſipuit. Mechliniæ Novitij ad conſcientiam confeſsione luſtrandam hoſpites univerſim adduxère hoc anno plus octingentos ſexaginta. Cortraci Comes Ferdinandus Baſta, Georgij olim armis inclyti filius, lethali correptus morbo, cùm aliàs noſtrorum operâ non uteretur, excluſis

ſis alijs, noſtrum ſolum Sacerdotem adeſſe ſibi voluit, præclaro teſtimonio, quod non benevolentia, ſed rectus animi ſenſus, qualis eſſe ſub mortem ſolet, expreſſerit. Idem omninò fecit Ribaucourtius moriens, Geldriæ Gubernator.

§ 3. *Beatiſsima Virgo Deipara.*

3, Inter alias cœleſtem Virginem colendi Artes, Antverpiæ, præſentatæ in templo Deiparæ feſtum propè ad admirabilitatem uſq; in ſupplicationis pompa emicuit, ubi puellæ pauperes, quæ noſtrâ Catecheſi ſolent inſtitui bis mille convenêre, ſuis inſtructæ cereis, quorum & numerus & moles ingens fuit; cordibus quoq; ex argento factis, & Virgini dedicatis non paucis, & pretioſis ac teneris liberalis erga Virginem voluntatis argumentis. Eodem die Caſſeti Virginis Aſpricollenſis ſtatua publicè coli cœpta, poſt belli turbines, magno apparatu; nomine quoq; è re nato MARIA PACIS dicta.

4. Archidux Leopoldus Ferdinandi III. Imp: germanus, Dunkerkam primùm triumphantis more ingreſſus, continuò ſe ad aram auxiliatricis Virginis in templo noſtro ſtitit, faſſus illi debere ſe florem victoriæ. Magiſtratus præter ſacra plura, perpetuum coram Virgine ignem accendit; lætúſq; af-

fir-

firmat, in tanta tormentorum missiliúmq; telorum tempestate ac vi, civem nullum læsum esse: globum etiam qui per templi nostri fenestram irrumpens extremam fornicis partem raserat, ac deinde à pariete in confertam hominum turbam, dum ad aram Virginis noster litaret, resilierat, innoxium decidisse, omnibus Magnæ Matris manum verè maternam lætâ gratiarum actione prosecutis: nec nostris à Virginis beneficentiâ vacuis, dum Rector voti religione conceptâ, gravem & longam tertianam à se depulsam gratulatus, ejusdem beneficij participem habuit Patrem quendam, & quosdam domesticos.

5. In suburbana Mechliniensium villa sacellum est, in quo nobilis divinæ Matris statua istam habet epigraphen: MATER NOVITIORUM. Hic locus beneficentiâ Virginis inclarescit, excitis ad se undequaq; pijs mortalium votis. Sodalem à febri continuâ ac periculo gravi, ita exemit, ut postridie à voto concepto Sacelli invisendi, receptis pristinis viribus supra omnem medicorum spem, eò se contulerit voti reus. Alius Matri misericordiæ quæ in templo nostro colitur, vovit beneficij anathema brachium ex argento, & mox à voto dolor depulsus est, qui miserum pera-

cerbè anno integro cruciârat. Ad hanc Sacerdotes nostri quothebdomadis die Sabbati sacris operantur omnes, ut gratias referant, quas ipsi ab illa, quásq; alij acceperunt.

6. Majus illud Ipris à DEI Matre auxilium: ubi fæminam quæ totos septem annos per anxias conscientiæ flagitio quopiam sauciæ ac verecundantis curas, & importunos vellicatus extraxerat, Mater misericordiæ juvit. Nam ubi opem illius imploravit, vicit scelestam verecundiam, & quas conscientiæ diras patiebatur, conquievisse læta persensit, à præceptis inferni cruciatibus ad cœli delicias sibi visa transferri.

§.4. *Sanctorum veneratio, & beneficia.*

7. Mulier quadragenariam libidinem premebat, & alebat silentio, cum nec à confessione sacrilegâ quotmensibus, nec à consvetâ petulanter libidinandi licentiâ abstineret. Huic Noster quidam gloriosæ Parthenomartyris Barbaræ cultum persvasit, utpote quæ certa sit & fidelis ad opem in Sacramentis ac morte ferendam. Tanto verò pietatis pretio illam venerata est, ut fusis ubertim lachrymis omnem vitam confessione sincerâ, quanto dolore tanto solatio expiârit.

8.

8. Antverpiæ ad religionem dierum qui cineres antecedunt accessit honor exhibibitus SS. Martyrum Flori, & Palladij sacris exuvijs Româ nuper advectis, & ritu supplicantium ad nos magnâ populi, pretiosæ vestis, ac loculorum pompâ & solemni bidui celebritate institutâ delatis. Par honor Mechliniæ S. Martyri Cypriano.

De S. P. Ignatio.

9. Antverpiæ habitæ per octiduum à S. P. Nostri festo de illius laudibus ad frequentem populum panegyres, & sacra concentu musico decantata: sub octavam verò vespertinam Litaniæ dictæ quotidiæ, choro symphoniaco succinente.

10. Alosti puer septennis veneficio magico infectus, sumptis pauculis S. P. Ignatij aquæ guttulis, complures longiores capillos effudit, & sibi est restitutus. Vxor Comitis Nassovij acutissimis partus doloribus per tres dies miserrimè distorta, tentatâ nequicquam omni ope, per oblatas ab Aldenardensi quodam nostro Patre S. P. Ignatij reliquias liberata est prole pariter, & dolore.

11. Majora Dei per Ignatij libellum fiunt miracula in exercitijs, & scholis, ac sacris tribunalibus pœnitentiæ. Præter Virginum cænobia, & S. Benedicti ad S. Petrum tirones illo libello eruditos, numerati sex ac

triginta, quos inter Antverpiæ quidam Archiepiſcopus illis excultus. Ex hoc numero Lovanium ſibi vendicat viginti tres. De ſcholis noſtris hoc rarum & illuſtre ad omnium annalium memoriam è Rhetoricâ Bruxellenſi: quæ cùm quinq; ac ſexaginta ferè auditores numeraret, ex illo numero ſeptenos vitæ Eccleſiaſticæ, Religioſæ verò undequinquagenos per varia domicilia feliciſsimâ germinatione, velut in DEI paradiſum, tranſcripſit magno ſeu pij magiſtri, ſeu capacis ad virtutem præclaræ indolis, ſeu divinæ gratiæ utrinq; benignè omnia foventis exemplo. Nec defuere alia Collegia quæ ſuas in variorum ordinum gloriam unà cum Bruxellenſi Collegio ſymbolas contulerunt.

De S. P. Franciſco Xaverio.

12. Hujus Sancti natalis dies hoc anno ab ejus morte centeſimus Antverpiæ indictis publicis per triduum ad gratias agendas precibus, pretiosâ etiam Dominicæ communionis generalis celebritate honoratus, concinentibus veſperi ante feſtum è Domo noſtrâ tubis; & feſtis ignibus in triumphi ſpeciem ante templum exſtructis; ut ſplendorem templi, & Chinæ ac Japoniæ, demum Indiæ, Luſitaniæq; ſimulachra omittam. Novem dierum votum in

San-

Sancti hujus honorem à nostro Patre Ipris persvasum puero pertinaci febri vexato, fecit ut vis febris quotidie sensim recederet, ac nono die tota prorsus abscederet.

§ 5. *De Sodalitatibus.*

13. Lovanij Sodalitas intellectâ piæ lectionis vi ad animos variè ac sæpè ex improviso permovendos, hoc anno Bibliothecam veluti cœli officinam. Philosophis suis instruxit. Mechliniæ juvenum Sodalitas S. Casimirum Principem juventutis ac puritatis elegit solenni formulâ; & legem condidit renovandæ quotannis ejus pietatis proximo, qui ab ejus festo sequitur die Dominico.

14. Alostani Sodales viri consulares plebeis ac tenuioris fortunæ viris permisti magnâ modestissimæ pietatis significatione Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum ad ægros cum accensis facibus comitati, aliquando centum etiam facibus collucentibus. Obijt ex hoc Sodalitio vir septuagenario major, qui per totos 20. annos, donec per ultimam valetudinem licuit, ad Vrbem è suo domicilio quartâ ferè horæ parte conficiendi itineris interjectum dissito veniebat neq; à cœtu abesse unquam est visus. Iter illud nudo capite, è corollâ Virginem

ſalutans, peragebat, ſeu rigeret cœlum, ſeu plueret, ſeu arderet. Cancrum graſſantem in pectore, aquâ, cui partem è ligno Virginis Aſperi collis intinxerat, depulit. Ajunt ſupremo vitæ anno ad Virginem peregrinabundum cùm copioſus toto cœlo imber caderet, per totum iter ab imbre intactum.

§. *6. Miſsiones, & Catechiſmi.*

15. Tungris quo profectu habiti quinq; Catechiſmi, Sacerdotis qui ſacris initiandos exanimabat, teſtificatione credendum eſt. Is auditis parvulis perquàm appoſitè ad fidei quæſita reſpondentibus, Ego, inquit, juſſus examinare eos, qui ſacris initiari deſiderabant, in multos incidi, qui doctrinæ Chriſtianæ tam periti non erant quàm hi pueri. Epiſcoporum, & parentum laudes & gaudia prætermitto, quibus hoc ſtudium celebratur. Brugis adeſt non infrequenter, nec otioſus, ipſe urbis Epiſcopus, ubi etiam ſæpiùs per anni decurſum veſtes, & alia in Catechiſmis pauperum erogantur. Antverpiæ hâc inſtitutione familia integra hæreſim dedocta, & multi ad pœnitentiam permoti: quos inter unus quiſpiam adulterium annorum plurium auditâ ſemel catecheſi abrupit, & expiavit. Mechliniæ quinq: Patres diebus Dominicis, alijs

lijs verò quatuor Catechesi faciendæ attendunt, Novitiorum Catechistarum labore ad colendos 28 pagos utiliter constanterq; porrecto.

16. Missiones capessivere nonnulli, qui non alio quàm S.P. Ignatij viatico, id est divitis in omnes DEI charitate contenti, levcas facilè ducentas pedites confecêre, Apostolicâ paupertate. Castra quoque nostrorum patientiam & charitatem acriter exercuêre, incomparabili agnitæ ab omnibus & laudatæ solidæ virtutis exemplo per certa discrimina corporum in gratiam animarum. Ad Gravelingam dum Sociorum unus pugnantibus cadentibusq; operam suā deesse non patitur, trajectā glande plumbea chlamyde retulit; contusum è simili glande brachium ad Dunkerkam alter. In conflictu, mixta labore, capitis pericula, paratos animas pro fratribus ponere diu ac plurimum exercuêre. Certè diu noctúq; ad tres quandoq; hebdomadas inter cæsos ægrósq; versantibus vix respirare licuit, & vel nuda in humo partem aliquam quietis accipere. Vidit hæc, & magnâ cum admiratione atq; gratiarum actione laudavit Condæus Princeps. Patrum unus captus, vestibúsq, exutus, alienâ in veste viam ad suos relegit. Alij à labore ac ærumnis in diuturnos prolapsi morbos vires DEO in charitatis victimam

dedicavère. Idem passi illi quos navalis expeditio perquam difficilis & illa, tenuit occupatos. Valetudo, & vita tota in cœli ac maris ærumnis ducitur, quarum solatium sunt animæ non paucorum etiam morte quæsitæ. Epibatæ in navibus ita instructi ad publicam in navi, citra omnia mulierculàrum dehonestamenta, disciplinam, ut Archiepiscopi Messanensis Vicarius Generalis nostros sollicitè rogandos duxerit; vellent eandem Siculis triremibus curam impendere. Id quod ex animi sententiâ perfectum est; & idem, Archiepiscopi verbis, amplas gratias retulit cum gaudio pro re gestâ feliciter. idem ad Neapolim pari commendatione in Classe Hispanâ perfectum: cùm ij qui præerant ad nostram normam fieri omnia postularent. Cœlum asperum, & intractabile, piratæ, panis arctus, & aqua brevis ac fætens, cibus rancidus, somnus brevis, durus, & inquietus, vulneratorum ac moribundorum illuvies, tanquam usitata hìc omittuntur, faciliùs cogitatione quàm calamo describenda, nostris certè quotidiana & ardua.

§. 7. *Restincta odia.*

17. Lovanij duella quinq; impedita Etiam inter primos dignitate viros alijs in locis

cis pax conciliata, cùm odia in sangvinem usq; gliscere viderentur. Cortraci nobili dexteritate industriæ in re implicata, Collegium factum est locus pacis. Omnium gaudio celebrata fuit nova consensio voluntatum. Tungris inter Matrem & filium à septem jam annis orto semperq in pejus eunte dissidio. cùm fratrum alter pro Matre, alter contra Matrem & fratrem omni contentione odia longa acueret. Pacem suaves ac mutuæ lachrymæ absolvère, Nostro post sæpè repetitos conatus rem tandem cum bono DEO evincente. Taceo conjugum odia, meditamenta divortiorum; & iras bellicas, eò difficiliores quòd ignava censeatur ira in bello quæ cum vindicta conjuncta non sit. Duo certè primæ notæ viri, uterq; nostrum non alio quàm Patris nomine appellavère, filij pacifici, ab illo à mutuis simultatibus ad mitia consilia revocati.

§. 8. *De pudicitia.*

18 Hìc Vrbes non nomino, ut securior sit in re tam lubrica narratio. Pellicis uterum ferentis occasione, unà cum illa ad Hollandos fugere medibatur impurus quidam; ut in asylo hæretico non erubesceret, viveretq; fide Hollandicæ libertatis ac mo-

ribus suis. Id consilium intervertit noster, & cauto silentio matrimonium utriq; persuasit, utroq; in fide retento. Alter, vir conjugatus, biennio incestos amores alere infami puellæ ac ejusdem Matris consvetudine non priùs desijt quàm pellex junior, filia senioris, morbo perculsa, Nostro à Matre vocato conscientiam aperuit, ac Matrem exemplo ad idem traxit, & corpore quoq; brevì convaluit unà cum Matre propositi ac pudicitiæ tenax. Taceo matrimonia vindicata, ereptum sacrilegum in longa scelerum colluvione silentium, reductas ab obscænitatis lustris passim plures, & unicâ in Vrbe quatuordecim, adeò commendatum olim Ignatij parentis opus. In castris plures quæ offendiculo erant aut relegatæ, aut ritè junctæ.

19. Illud habet divinæ providentiæ oculum vigilantem, quòd cùm juveni aliàs ad ista innocenti procax quæpiam obvio vultu, & solitis artibus scelus persvasisset, atq; ille ad condictum sceleri locum iret, ad occurrentis fortè nostri Patris aspectum percelli, aliud ab eò quod destinaverat meditari, deniq; omisso ad belluam illam itinere, ad Collegium ire decreverit, ubi conceptam animo turpitudinem verecundâ modestiâ dolenter fassus, DEO gratias reddidit

didit quòd in uno viri religiosi aspectu tantum impuris suis tenebris casti luminis affudisset.

§. 9. *De ÿs quæ ad desperationem, ac dæmonem.*

20. Amentissimis deploratorum hominum consilijs, variâ, si ulla in re aliàs, arte itum est obviam. Antverpiæ quidam syngrapham exaraverat, quâ se dæmoni, si opes afferret, devovebat. Hunc in silva vir ad gravitatem compositus aggreditur, & egestati lautas opes ultrò spondet, si paciscì velit. Alter consternatus, necdum syngrapham quidem dedit; verùm certo die adesse iterùm jussit, nisi quid aliunde locupletioris spei affulgeat. Dierum aliquot interjectu, cùm desperatus ille in lecto secum turbida omnia machinaretur, adfuit iterùm per signa dæmon: sed pactio dilata est. Alius itidem desperabat: & ad cumulum accedebat id quod abscissam aliàs etiam spem quàm maximè jugulabat, quòd jam inde ab annis 40. conscientiam nunquam Sacramento expiasset, imò aliquoties etiam sacrilegio inquinasset, confessione non integrâ institutâ. Vterq; hic apud nos & consilia saniora, & conscientiæ pacem invenit.

§. 10.

§. 10. *Nomina, & elogia mortuorum.*

21. Non paucos hic annus extinxit rei domesticæ adjutores, fere ab eadem orandi & studiose laboribus incumbendi laude commendatos. Emicuisse videtur inter alios CAROLVS PHILIPEVS de SECLYN nobili loco natus Gandavi, qui absolutis etiam Philosophiæ studijs humili sorte contentus Ianitoris munus prudenter ac sedulo gessit, ad magna natus, nisi visûs imbecillitas obstitisset. Clausit felicem diem Bruxellis in Julio tertio die tridui continenter tribus Coadjutoribus confatalis. Postridie nonas Augusti CASPAR DV PONT vitâ est functus planè præcipua erga SS. TRINITATEM religione vir; illam exquisitis pietatis exercitijs augustè ac tenerè veneratus. In Augusto ereptus etiam JOANNES GOVBAV, qui licèt in Philosophiæ curriculo epilepsiâ fuerit correptus, elapsis tamen annis aliquot, Sacerdotio idoneus videbatur. Sed maluit modestè latere, quàm vel amplæ domi fortunæ (ad quam ei redire licebat) restitui vel inter Patres censeri. Certè suum ordinem præclaris haud segniter parendi ac se pietati & officijs mancipandi exemplis perquisitè ornavit. Bruxellis 10. Kal: Julij PETRVS PAFFENRODE, vitam clau-

clausit, quam præclarâ charitate quater pestilitati objecerat. In STEPHANO de NEF Lovanij 12. Kal. Dec. vitâ functo, cum aliæ religiosæ virtutes laudantur, tum illa maximè animi fortitudo, quâ in Trajectensi examine magnam etiam apud hæreticos commeruit admirationem, dignus qui narrandæ olim ejus tragœdiæ partem occupet non postremam.

22. Obijt è Scholasticis ibid prid. Natalis Domini ADRIANVS van BERGKE boni verè Scholastici elogio dignus. Solenne illi, & perpetuum erat, primos inter mane, postremum autem vesperi, ac interdiu sæpiùs Christo in Eucharistia religiosè visitando adesse: abjecta culinæ officia obire avidè, atq; frequentiùs: amare cubiculum, atq; silentium; & quod palmare est, nullam è religiosis legibus ullius causâ prætergredi.

23. Jam verò inter acerba, & densa Patrum funera primus occurrit Kalendis Aprilis Antverpiæ P FRANCISCVS XAVERIVS VANDEN BERGKEN, vir ad rationes æternas, & ad sublimes de Martyrio cogitationes animo toto suspensus; cujus etiam desiderio, veluti quodam impetu se in Societatem actum esse ajebat eóq; in quotidianas sui victorias, veluti parva martyria toto

inge-

ingenio, delectamentorum omnium osor pulcherrimè inhiabat. Pretiosa illi, dulcis, & luminum plena vultúmq; mirè componens ac inflammans oratio: dies à salutato SS Sacramento, ac DEIpara & Josepho ductus; quorum amori cor & lingvam ad illorum gloriam propagandam impendebat; fassus à S. suo Josepho se nihil petijsse quod non liberaliter impetrasset. In Missionibus accuratus: in Sodalitate gubernanda in dicendo accensus, & accendens animos in lachrymas fluentium auditorum, & quidam vix unquam se aliter discessisse testati sunt. Neq; ad fusam in concavo lunæ virtutem, sed ad virtutem solidam, atq; adeò ad sanctitatem, suos acriter perurgebat; Vt multò maximum omnium æternitatis negotium ab omnibus seriò ageretur. Pijssima morum svavitas inter dissidenter pacis, apud moribundos plurimorum solatiorum illicium fuit. Multi se ab ejus colloquijs ignium plus hausisse quàm ab ullis libris meditationibusvè testati sunt. Rector bis cùm esset, semper liberalem cum fœnore DEVM est expertus pro sua erga miseros liberalitate. Deniq; domi Angelus, foris Apostolus meritò audiebat.

24. Alterum ibidem 7. idus Sept. funus elatum P. THEODORVS KIVIDT, qui decem

cem mensium calculo gloriosâ patientiâ coronavit annos illos quatuor & viginti, quos in Hollandicâ missione strenuè animarum lucris impenderat.

25. Idibus Novembris ibidem ætatem, ac labores morte consummavit Anno ætat. 85. P. BALDVINVS CABILLAVIVS, qui nullâ cœli, aut itinerum injuriâ absterritus ipsis quadraginta quinq; annis pagos in divinis excoluit; domi quoq; ad summos obedientiæ apices, nutúsq; non manu tantùm promptus, sed & mente totâ compositus: paupertati autem exquisitè colendæ abjectísq culinæ officijs constanter addictus, mente candidus, ore atq; calamo suavis, temporis ac doctrinæ studiosè observans, & nunquam satur plus discendi. Magna illi veteris novæq; historiæ eruditio, vena Poëtica typis etiam testata singularis, memoria fidelis, & post mortem à pluribus viri sancti appellatio data. Ei adscribendum ajunt, quod Societas publico sumptu Collegium Casleti obtinuerit.

26. In ejusdem Vrbis Collegio moribundorum, & ægrorum obsequio immortuus est 6 Kal: Decemb: P. FRANCISCVS ANDRIES. Multa illi erat, & fervens oratio, submissio animi non fucata, obedientia in omnem moderatorum voluntatis significationem intenta.

27. Confatalis pluribus Bruxellis Iulius, ipsis Calendis abstulit P. JOANNEM de BEER, diu langventem, nunc vero contagione sublatum. Ibid. 10. Kal. Aug. desijt vivere P. LVDOVICVS du RIEV in ipso morbo 4. vota professus, vir ad docendum, dicendum, agendum ad omnia natus. Robustus & prudens illi dicendi nervus, & felix impetus pietatis, à divinarum rerum meditatione, sæpè in ipso lachrymarum æstu, conceptus. Castigatissima mentis, corporisq;, ac potissimum oculorum ne in Principes quidem viros ire permissorum modestia. Fassus est Sacerdoti, à quo sacramentis ultimis fuerat communitus eâ se oculorum severitate citra pugnam aut sensum adversum vixisse. quasi castimonia solâ modestiæ oculos frenantis dote contenta pacem illi perpetuam conciliârit.

28. Die ab hoc proximâ P. CONRADVS de GAVRE Collegij Rector diem obijt: vir sui despiciendi scientiâ & voluntate apud nos non minus illustris quàm foris fuerit claritudine Marchionis. Neq; segnis, verùm obviæ domi, & in castris ac laboriosæ charitatis plena fuit illa demissio: quæ etiam illi ars fuit nostros gubernandi, ut obedientiam & amorem ab omnibus facillimè impetraret, cùm tamen & ipse esset exactus

quàm

quàm maximè, & instituti ac eorum, quæ illi adveniunt à moderatoribus præscripta, callentissimus obsérvantissimúsq;, nihil prætermissi vellet. Vesperi nunquam, cùm regeret, cubitum concessit, etiam Bruxellis in magna hospitum frequentia, nisi lumen undiq; extinctum nunciaretur: manè somno nunquam ultra commune signum indulsit. Magna illi significatio pietatis oranti; sacrificanti verò longè maxima. Lue pestiferâ contactus, petijt à DEO pro cæteris victima devoveri.

29. Desijt Cortraci vivere 8: Kal. Martij P. LIVINVS de CLERCK vir pacis artium studiosus, & apud Hollandos per annos quindecim operâ perillustri commendandus. Brugis duos acerba mors tulit, alterum P. FRANCISCVM WOVTERS magni nominis concionatorem; alterum spei maximæ Magistrum JOANNEM MERGHELINCK.

30. Iprenses trimestri hos Patres extulère: Primus fuit P. JOANNES de HOVYN, vir animam sortitus bonam, in quo multus animi candor, & sensus ingens teneræ pietatis. Proximus illi fuit P. GODEFRIDVS S. BICKERS, Antverpiæ morum in Theologicis quæstionibus per 12. annos Magister: sed quæ humani ingenij imbecillitas est,

mente everſus, numeróq; beandorum ſe excluſum ratus, ideóq; in hoc miſerandum in modum turbidus: aliàs & ſibi præſens, & conſilij dandi potens. Haud ita mul-to poſt evocatus è medio eſt P. REINERVS VANDER BEETS: cui magna meditanti im-pedimento fuit iniqua, & ſputo ſangvinis fracta valetudo, ſive cùm ad Indos jam iter ingreſſum attinuit in Anglia, ſive cùm à na-vali miſſione abire coëgit. Cùm hic no-nis Novemb. ſepulchro inferretur, ani-mam agebat P. HENRICVS VANDEN GRE-VN, paucis poſt horis extinctus. Noſtros Bellioli gubernavit Rector: deinde conci-onibus & ſacro tribunali ad pœnitentes ju-vandos datus, magnum ſe oſtendit utrinq; animorum tractandorum artificem. Ma-gno plauſu ſed fructu longè uberiore dice-bat, id quod ſublata peccandi licentia ex-perimento memorabili loquebatur.

Horum funerum agmen clauſit 10. Kal. Decemb: P. PETRVS DE BEYE, vir quàm ſui negligens, tam aliorum ſtudioſus. Cal-culo, & plenæ cruciatuum turbæ, non que-relas, ſed Chriſtum objiciebat. Dunker-kæ dum regeret, Virgini Matri magnâ fidu-ciâ ærarij præfecturam tranſcripſit, adeo fe-liciter, ut nullis æris alieni nominibus con-tractis, templum à fundamentis ad faſtigi-

um

um extulerit, ut de aula & ſcholis nihil dicam.

31. Casleti defunctus eſt P. LVDOVICVS VAN SPIERE iſtic nuper Rector Paupertati & ſui contemptioni ſeverè deditus. Præter duo quothebdomadis jejunia, dies ſolenniores arcto adeò jejunio præveniebat, ut uno ante feſtum die nihil omninò cibi admitteret.

32. Inter Hollandos in expeditione animarum in provincijs fœderatis, Patres deſiderati ſeptem. P. NICOLAVS LOENESIVS longè ac latè ubiq; ſparſus ubi ſocij aut neceſsitas exigebat. Bommeliæ P. ANTONIVS ROVGEMONT in medio ætatis flore morte interceptus. Mores illi ſvaves, & inculpati; conſtans rerum cœleſtium amor, Apoſtolicus ardor & labor, quæ omnia in lectulo ultimo dulciſsimam illi fiduciam injecerunt, fore ut vitâ functus nihil magnoperè haberet igne luſtrandum. Creditur quoq; in morte aſpectu S. P, Franciſci Xaverij recreatus.

Funus verò P. MELCHIORIS HVLSHOVT Neomagenſibus alto mœrori fuit, viri DEI ac mortalium amantiſsimi, cùm tamen ſe acerbè odiſſet, corpore inclementer ſubacto, quo in genere ne quid nimis agere porrò pergeret, neceſſe fuit illum, ve-

luti fræno, voti religione obstringi. De-passo Christo loquenti aut meditanti manabant felices, etiam in horas totas lachrymæ, atq; suspiria, quibus verba veluti liquefacta in aures, & animos audientium ardentiùs influebant.

33. Ipso verò assumptæ ad superos Virginis festo die requievit à laboribus missionis, ejusdem superior, P. ANDREAS JVDOCI, Collegiorum plurium aliàs, tum Domûs Professæ, ac deinde Provinciæ moderator, vir doctrinâ, virtute, animi dotibus corporísq; par Apostolico illi officio. Mira virtutum in illo varietas emicabat, ostendebátq; quomodo in uno homine posset cum simplicitate prudentia, & cum hac magna in arduis animi excelsitas, & huic juncta modesti semperq; prompti ad parendum animi demissio citra detrimentum consistere. Instituto penitus penetrando non minore ingenij contentione se se impendit, quàm cùm Philosophiæ, Theologiævè docendæ incumberet. Singula S. P. Ignatij dicta pro oraculis veneratus, exercitiorum libellum secundo loco à Biblijs æstimabat. Non credebat fieri posse ut Soc: JESV sit filius verè germanus qui idem JESV Matrem studio præcipuo non honoret. Serenum pectus, & vultus; neq; secreti premens, nisi
ubi

ubi virtus id poſtulárit: auſus dicere, ſe in omni vitâ triſti vel dejecto animo fuiſſe nunquam. Labores, pericula ipſe ultrò ſubire primus, quæ poterat alijs pro imperio deſtinare. In Dania, Norvegia, Hollandia varia, & multa, & magna perpeſſus, ultimas ætatis caducæ vires inter parvulos, inter ægros, in itineribus cœlo nunc rigente, nunc ardente ſuſceptis in concionibus & crebris & ardentibus inſumebat: à morte habitus inſtar ſancti à populo qui certatim de P. Andreæ veſtibus, capillis, alijs, quidpiá expetebat. Funus miro luctu honorificè panegyrico ac alijs funebris pompæ honoribus celebratum.

34. Hunc non abſimili ſanctitatis famâ ſecutus eſt P. GISLENVS VVATTEAV in Friſiâ pauperrimâ ſtatione tam lætus, ut ſe illi, voto, quantum quidem obedienter liceret, alligârit. Vndecim tantum Catholicos ibi repererat, moriens autem reliquit millenis plures, quanquam aſsiduâ contranitentium importunitate vexatus.

35. Vianæ P. GVILIELMVS PYL animam poſuit peſte laborantium quibus ſerviebat contagione afflatus; id quod Gandavi jam antea deſiderio erat complexus ut illis animam devoveret. Sylvæducis magnâ in meſſe poſt annornm undecim labores mor-

te vitam finijt P ARNOLDVS COEBERGKE. Cives, milites; hiems, æstas; egeni opulenti; ægri, & sani præclara illius officia suspexère, cùm esset omnium horarum prompta illius charitas atq; alacritas.

36. Maris jactatio, & squalor nauticus P. JOACHIMO CERON attulit causam morbi & mortis. Vir exempli optimi, amœni atq; accommodati ad animarũ utilitates ingenij ubiq; cum omnibus, ac semper. In navi contra jurandi licentiam, & pro pietate mira præstitit, adeò ut ne pœnam quidem luere recusarent si quid aliqui deliquissent.

37. Luctuosus quoq; quanquam in lucro quodam & gloriâ reponendus, fuit exitus P. FLORENTII DE CIREVENBROEK, Mechliniensi gubernatione perfuncti, ad omnem obedientiæ vocantis auram expediti. Hic Regiæ classi datus ad militum animos pietate instituendos, dum rerum satagit, & videt alia ex alijs pericula imminere, paucis ante supremum tempus horis ad P. Joannem Aurelium, veteranum classis Regiæ comitem actuariâ vectus, animum pœnitentiâ expiârat, Et peropportunè sanè. Nam haud ita multo post dum stipendiariæ naves hostilem impetum fortiter ac diu sustinent, navis Antonij Gonzales, quâ P. Florenti-

rentius vehebatur, incensa, & igne dissiliens, ipsum Patrem, & vectores omnes in auras extulit.

38 Hunc mari, & igne; P. FRANCISCVM CRVMSEL terrâ mors Parisijs, quò cum Condejanis concesserat, occupavit. virum nunquam langvidè, sed omnia strenuè magno PP. Castrensium levamento accurantem. Capax illi disciplinarum, & amans ac dives ingenium. Sed ærumnarum pleni labores, atq; itinera virum in ætate adhuc viridi acerbè confecère.

ANNVÆ FRANCIÆ SOC: JESV ANNI M.DC.LII.

FRanciæ Provincia hoc anno 1652. per 24. domicilia Socios 675. Sacerdotes 392. numeravit. Admisit ad Societatem quinos & denos: amisit morte abreptos quaternos & viginti.

§. I. *Missiones, colloquia, conciones.*

1. Quà publicis ad concionem, quà privatis ad singulos divinæ sementis proseminandæ laboribus ab hæresi ad fidem lucrifacti multi, sed nullo certo numero adstricti. In ijs qui adnotarunt undevicenos in-

venio.

venio. Parisijs per Adventum & quadragesimam septem, Biturigibus decem in locis nostri dixère ad populum, non minore utilitate animorum quàm locorum celebritate atq; frequentiâ.

2. Biturigibus ter quothebdomadis conveniunt egentiores ad Christianam doctrinam ferè centum & quinquaginta: quorum illecebra est eleemosyna, facilis conciliatricula pietatis tametsi aliàs raræ in hominibus in tam profligata fortunâ ferè perditè educatis. Flexiæ in publica provinciæ penuriâ Domus nostra singulis per annum diebus Dominicis, Martis, & Jovis tam largè suppeditavit stipem egentioribus, ut eorum aliqui dixerint sibi fuisse fame aliàs pereundum. Inde facilior & felicior fiebat aditus nostris ad persvadenda illis Sacramenta.

3. Familiaris etiam, & religiosæ cum externis consvetudinis fructus is extitit apud Turonenses, ut inter duos (quos natura fratres, hostes verò fecerat privata utilitas, armata jam odio) in arctam animorum consensionem solidè coaluerint, & constanter. Funesta ibidem inter duo primæ authoritatis capita dissensio repentè coorta, repentè latè (ut partis utriusq; necessitudines ferebant) increbuit, & plurium animos quatefecit

fecit metu periculi ſangvinario fine claudendi, aut in poſteros etiam ſeminandi. Valuit ad pacis momentum ut cùm nequicquam alia omnia tentarentur, Collegij Rector utriq; parti chariſsimus, arma primùm utriq; authoritate amicâ extorſerit; deinde pacem, cumulatâ ſanè omnium voluptate, firmârit.

4. Tertiani Patres vernà primùm concurſatione, tum eâdem ſub autumnum, Rhotomagenſis Archiepiſcopi poſtulatu repetitâ, præter alias expeditionis hujus operas, Dieppam acceríiti quatuordecim Chriſtianorum millia conſvetis Societatis miniſterijs ad Sacramentum Confirmationis præpararunt. Aliàs ad eum locum ubi ſacra hæc expeditio verſabatur, è vicinis circùm locis Parochi viginti quatuor plebem ſibi ſubjectam ad noſtros feſtis diebus deduxère, ut in partem ejus utilitatis venirent quam famâ increbreſcente acceperant. Armorici Patres duo miſsiones tredecim varijs temporibus obivère. Catechiſmis & concionibus tria oppidanorum millia inſtituta, exomologeſin conſvetam quindecim millia capitum objère; univerſæ verò vitæ ſordes ſena circiter millia expiavère. A pellicatus amoribus abducti ducenti; exulcerati, & pertinaci odio poſito manſvefacti ſexcenti:

ut eos taceam qui è bonis facti meliores, affatim satisfecêre Patrum laboribus, quorum tam salutariter institutæ obversationes lætâ messe omnia implevêre.

§. 2. *Beatissima DEIpara, Scholæ, Sodales.*

5. Senex in missionum quadam, jam duo devigesimo anno æger lecto affixus, ajebat se jam inde ab annis octo & sexaginta flagella sentire conscientiæ sacri tribunalis lucem, integritatem, evidentiam metuentis. eam in rem salubriter molliendam adhibitas à se qnotidianas preces ad MARIAM refugium peccatorum. Ab illa se tandem evictum. Etenim cum Patrum vicina oppida concursantium famam auditione accepisset, simul eâdem nocte se voce quadam allapsâ commonitum, jussúmq; vitæ totius peccata integrâ exomologesi expungere. Id verò ille, tanquam à rogatâ sæpè Virgine Matre acceptum consilium, persanctè executus, duodecimâ exinde horâ, pacato agone ac vitâ perfunctus est. Rhotomagensem quoq; luem ejusdem Virginis præsenti ope, supplicatiône ductâ, restinctam accepimus.

6. Jam flos Sodalium & Scholarum ejusdem cælestis educatricis beneficium est; & Magistrorum ac Præsidum labor primarius.

us. In Parisiensi Gymnasio bis mille; atq; inter hos primæ nobilitatis juvenes trecenti in convictus nostri contubernio numerati, totidem nempe alumni Virginis, virtutis & ingenij cultione. Parisiensium Sodalium artificum hoc etiam anno fuit commendatio singularis, quòd in summâ perparcæ annonæ caritate, opem tempestivam cumulatè tulerint, locupletiores egentibus, qui ardor quia in quibusdam immodicus videbatur, cùm etiam tenuioris fortunæ nonnulli piâ illâ suâ liberalitate arctiorem domi rem redderent, debuit à Patre qui præest, attemperatè compesci, ne quid offensiunculæ crearet domi liberalitas in extrarios æquo effusior.

§. 3. *De S. P. Ignatio.*

7. Inter alios præsentissimam S. P. Ignatij opem Rhotomagi expertos, fuit etiam is de Societate qui cum dolore pedum adeò laboraret; ut ijs insistere vix jam posset, voto statim S. P. Ignatio nuncupato est persanatus. Ibidem duæ Matronæ nobiles conclamatam ferè jam salutem eâdem pietatis industriâ recepère.

8. Istud quoq; Ignatianum est, quod cœlestis ejus libelli ductu Parisijs in tironum domo sese exercuerint omnino tredecim, quo-

quo è numero unus fuit Episcopus, alter dux militiæ genere ac virtute insignis. Flexienses, Andegavenses Vrsulinas, Salmurienses aliásq; in cœnobijs varijs Moniales ejusdem libelli Magisterio institutas utilitates egregiæ consecutæ. In celebratis quoq; Patrum Tertiariorum missionibus Patrum quidam intermisso tantisper opere publico mensem unum & alterum apud septuaginta moniales huic industriæ navus impendit, universámq; illam familiam hactenus non sat æquis animis nos prosecutam hâc delinitione nomini nostro addixit.

§. 4. *Suffragia pro defunctis.*

9. Ad indulgentiarum, ac piaculi salutaris lucra pijs in purgante igne animabus liberaliùs porrigenda, Romanis Belgicisq; provocati exemplis Augenses, ac Rhedonenses Socij Synaxim menstruam instituère, celebritate volentissimis illis Vrbibus pergratâ, & solidâ dictione sæpiùs utiliter commendata.

§. 5. *Defunctorum elogia.*

10. E vita hoc anno 1652. Sacerdotes XVIII. abière. Rhedonibus 8 Febr: P. CAROLVS CHARRE anno æt. LXXV. Soc: XLVII. placidæ, peritæ, ac silentij amantis prudentiæ, solers in negotijs Domus Prof:

Pari-

Parisiensis Procurator; postea Rhedonibus XXV. annos versatus, cælestis etiam animorum Oeconomiæ svaviter ac scitè tractandæ idoneus. Vltimo vitæ die sacrificio ad aras operatum; neq; invaletudine ullâ interdiu tentatum, proxima nox extinxit. Nostri oculis ac ore ad mortem modestè composito mortuum reperere: non improvisam ei obvenisse mortem interpretati è castigatâ illâ morum severitate, suiq; circumspicientiâ quâ vivebat in mortem intentus.

11. Flexiæ 13. April. æt. anno 57. Soc: 33. P. GEORGIVS FOVRNIER, humaniorum ac Mathematicarum disciplinarum peritus Magister, Geographus libris etiam editis non obscurus. Coadjutoris spirit. gradum assecutus, insignia sui erga DEVM animásq; amoris edidit argumenta per missiones castrenses terrâ mariq; susceptas.

12. Rhedonibus 20. Apr. anno æt. LXX. Soc: XLIII. P. DOMINICVS ROLLIN Lotharingus, Minister sui negligens; & ægrorum etiam nocte intempestâ intervisendorum; ac abjectissimo quoq; officij genere juvandorum gratiâ, nihil ætati suæ parcens, nihil operæ aspernatus, declivis etiam ætatis suæ incommoda dissimulanter tegens, ne ab aliorum commodis procurandis prohiberetur. Serius, at citra morositatis supercili-

um, erga omnes perhonorificè comis; eóq; acceptus.

13 Niverni 27. Junij anno æt. XLV. Soc: XXXV. P. JOANNES AYMAN Germanus bellico fluctu delatus in Gallias propè tiro ib: 4. vota virtute ac doctrinâ commeritus. Seu Philosophiam doceret, seu pauperes pro sacro tribunali audiret ibi egregie doctus, hic ſvavis, & impiger, atq; in ipſa confeſſionum auditione morbum creditur hauſiſſe ac mortem.

14. Ibidem 1. Julij anno æt. XLI. Societ. XX. P CLAVDIVS GVITTON. Rhetoricæ & Concionum arte & gratiâ ingenium, ſpiritúmq; probavit cùm ſeriò rem ageret, ac perdocte, atq; utiliter. Quatuor Profeſſorum vota jam propediem editurum dies ultimus antecepit.

15. Ibid. eodem die, anno æt. LXIII. Soc. XXX. P. JOANNES TARDIVEAV. Societatem jam Sacerdos adeptus, tamen ad omnem obedientiæ genium æquè promptus atq; ſi tenerior adveniſſet. in loquendo comitas, in rebus difficilibus explicandis Oeconomica induſtria, labor, peritia, & his omnibus permultò major integritas, & in divinis accuratio in illo eluxêre.

16. In Caſtello quodam ad Vrbem Coriſopitenſem 2. Auguſti æt. anno XLIX. Societat

cietat XXX. P. JOANNES MOREAV 4. vota Prof. Lutetiæ apud Professos, alibiq; concionandi claritudine ad animos permovendos egregius. In Castrensi expeditione, inter permulta alia Comitem Ransavium cohortationibus suis ad sanam fidem traduxit. Vir qui moribus religiosè facetis, doctrinâ & spiritu animatæ suæ facundiæ aditus faciles ad præparandos DEO animos aperiret.

17. Flexiæ anno æt. LXV. Soc. XLIV. P. GEORGIVS DE LA HAYE cùm Collegio Rector præesset. Jam ante Aurelianense Collegium, & Parisiensem Professorum Domum rexerat, & nono universali Societatis Comitio interfuerat. Præclaræ in illo Magistri, Sodalitiorum Præsidis, Superioris, & Concionatoris dotes, industria strenua; seria & rationum è sanæ Theologiæ sinu petitarum pondere gravis dictio, non pueriliter vana, vel floridè cincinnatula, sive ad populum diceret, sive domi, sive ad Sodales. Tales illi mores quoq; qualis concio, potentes opere ac sermone, non morosè modesti, sed clari, & candidi.

18. Cadomi XX. Sept. æt. anno XLVI. Soc: XXX. P. FRANCISCVS DE PVYQVEOJET 4. vota Professus. Româ à studijs reducem, Philosophia, Theologia, & demum

Ro-

Rothomagensis Collegij rectio excepit, hominem quem ad conciliandas omnium voluntates natura & gratia scitè formârat, eáq; ille pulcherrimè ad afflictorum levamentum utebatur, ad ægros, ad carceres, ad reverentissimam Superioribus obedientiam semper promptus, & comiter facilis. Cùm itinera pedibus conficeret egregio religionis exemplo, supremum iter Parisijs Cadomum adeoq; ad æternitatem intendit; mortis causâ inde contractâ.

19. Flexiæ XV. Oct. æt anno LXVII. Soc. XXXIV. P. CHRISTOPHORVS SYVADON, Procurator duodetriginta ipsis annis navus, & eximijs ejus officij cum dignitate religiosâ obeundi dotibus perquisitè commendatus. Erga omnes demissè, erga superiores ad omnem nutum circumscriptè ac obedienter se habuit. Stata orandi tempora præterire nunquam voluit. Pensum Canonicum coram SS. Sacramento provolutus in genua persolvebat. Festus dies illi sacer ac eximius, quare in prima luce in templo ad usq; meridiem confessiones, ferè pauperum ac ancillarum, accipiebat. Cavebat ne exequendæ ad B. V. de coronâ precationi, ne spiritualibus libris legendis otium sibi deficeret. Inchoatis S. P. Ignatij exercitijs febri tentatus, & mortis optatæ desiderio religiosè potitus est.

20.

20. De P.STEPHANO CHARLETO verba eadem ferè adnumero,quæ accepi:P.STEPH: CHARLETVS,Parisinus,4.votorum Professus, obijt Parisijs in Domo Professa 26.Oct. æt. anno 82. Soc. 60. Vir de Societate universa optimè meritus, universis ejus muneribus,dempto magistratu summo, præclarè functus. Docuit Philosophiam, ac Theologiam in celebrioribusCollegijs,annis pluribus,cum existimatione eruditi,acris, ac perspicacis ingenij. expositio clara,diserta, & gratiâ condita erat,ut eo nomine ferè cæteris antistaret. Primò Rector Coll.Flexiensis,deindeProvincialisFranciæ,& Lugdunensis Provinciæ, postea Galliæ Assistens creatus,annis decem & novem in eo munere perstitit cum laude, ad Mutij Vitelleschi Generalis ingenium & mores præclarè factus,& socijs percharus. A Vincentio Caraffa Provinciæ Franciæ Præpositus, ingenti nostrorum consolatione. Elucebat in ejus moribus religiosa gravitas; erat liberalis in pauperes,ægrotis compatiens, erga afflictos misericors,in DEVM pius,coram SS.Sacramento assiduus. Ad extrema deductus, nostris benedictionem flagitantibus, & in genua provolutis, benè precatus obtendit Crucifixi imaginem, ut in eo omnes benediceret.

21. Rhedonibus 2. Nov. anno æt. LXII. P. FRANCISCVS à S. REMIGIO animarum zelo præstans, etiam earum quæ in purgatorio patiuntur. Præfuit Convictui Parisiensi deinde Augensi & Corisopitensi Gymnasio. 4. vota Professus. Corpus illi attritum voluntariâ severitate ac morbis, quos in silentio & spe, ac fortitudine in illis repositâ tolerabat, perpetua sereni animi æquabilitate tranquillus.

22. Flexiæ 8. Nov. anno æt. LIII. Societ. XXXV. P. ROBERTVS GAVTERON 4. vot. Professus. Rhetoricam docuit annis octo: reliqua humaniora annis septem; scripturam totidem & Hebræa. Sodalitio assiduè, procurando, precandi studio, visendo prolixiùs SS. Sacramento, constanter addictus. Meditationum pensum de genibus persolvebat humi, conscientiæ teneræ cavebat potissimùm à verbis quæ laudem præ se ostenderent; in obedientia perquàm eximius, candida illi sinè fuco Simplicitas, & mitis ac humilis corde modestia, per quam quartum votum detrectare volebat, si satis licuisset. Paupertatis mensura illi sola necessitas, & in ijs quæ necessaria sunt, prudens deteriorum electio.

23. Parisijs in Patria sua IX Novemb. anno æt. XLII. Soc. XXVI. P. PETRVS BERNAGE

ge 4. vot. Prof. Doctis humanioribus & Philosophicis disciplinis etiam in concionibus eximij talenti specimen dedit. Grati mores, atq; ingenui. Suprema illi concio fuit 1. Novemb. peracris & erudita de beatitudine Sanctorum. Tum morbo ictus ad suprema devenit.

24. Ambiani natali solo se reddidit 1. Decemb. anno æt. LII. Soc. XXXIII. P. Adamvs Levrin tria vota Professus. Humaniora Parisijs per 6. annos cum eruditionis & prudentiæ laude docuit. A Theologici studij contentione per valetudinem valdè attritam deductus redditus est ad Societatis officia per profligatas vires planè inutilis, dum voto ad B. Francisci de Sales venerationem concepto tantum virium recepit, quantum abundè sufficiebat ad illum inerti otio eximendum: quibus ille ad assiduas cum in templo, tum in Sanctimonialium cænobijs confessiones affatim usus, assiduâ suâ solertiâ utilitates attulit perinsignes.

25. Parisijs in Collegio 11. Decemb: æt. anno LXXI. Soc. XLVIII. P. Dionysivs Petavius, Aurelianus, 4. vota Professus. Rhetoricam undecim, S. Scripturam quatuor & viginti annis perdocuit, capax & vastum ad omnes disciplinas ingenium. La-

tinè, Græcè, Hebraicè, Chaldaicè, Syriacè exquisitè doctus, Poeta, Rhetor, Orator, Mathematicus, Patrum & Prophanorum Scriptorum ingens & memoriâ pollens helluo. Dubium an majori laudi illi fuerit quod ab Vrbano VIII. Pontifice fuerit Romam ob latam eruditionis tantæ famam accersitus, quàm quòd modestè ac scitè id fuerit deprecatus, ob ea quæ metuebat, & quæ speraret ambitio. Plus otij cum libris, id est cum mortuis, quàm cum vivis terebat, nullâ horæ particulâ immuni ab officio relictâ, persanctè tamen erga solita conscientiæ introspiciendæ ac orandi tempora fidelis semper; cum diceret, scientiæ se potiùs quàm vel unius examinis vel orationis jacturam subiturum, æmulo Suarij magni apophthegmati dicto, & facto. Nihil audere citra Superiorum veniam; nihil de populari aura, tanquam peste, ad se admittere; confessionibus parvulorum, atq; simplicium dare operam promptiorem; ingentia per omnẽ vitã, sed supremo sesquianno potissimũ, patiẽtiæ lucra colligere, cùm ingravescens capitis & oculorum dolor mestum illi ab omnibus omninò studijs otium indixissent. Dignus certè famæ suæ gloriâ, & ævo longiore.

26. Flexiæ 25. Decemb. anno æt. LV. Soc. XXXII. P. JACOBVS LINDO Parisinus. Ministri

nistri officium egit pacato semper animo, fronte, lingvâ. Svavis illi simplicitas, & ne quid inertiæ admitteret, Christi, divinæ Matris, ac cœlitum icunculas graphicè pingebat, & opportunè spargebat. Puritatis ac vi demittendi, sanctissimiq; Sacramenti, coram quo multus erat, longè studiosissimus.

27. Reliqua Provinciæ funera fuère Coadjutorum ad serviles domi operas conditione suâ destinatorum, quorum elogium est ferè modesta sui demissio, labor ad ingravescentes usq; annos assiduus, DEO ac officio suo intentum silentium, fidelis paupertatis cura. Vnus præ alijs emicuisse videtur LAVRENTIVS BARDOVIL Flexiæ 28. Aug. æt. anno LXIII. Soc: XXX. optato fine functus. Nobilis erat genere, ac Rhedonensi Collegio egregiè fecerat, una cum fratre qui Sacerdos in Societate pervixit. Immaculatæ Deiparæ cultum & ipse habebat præcipuum, & omnibus persanctè persvadere optabat. Ad precandum intentiùs amans anguli atq; silentij. Orationem armabat labore, ac modestiâ simplicitateq;, ut rustico similior videri vellet: somni parsimoniâ, inediâ frequenti, & alijs carnis affligendæ studijs ferè supra modum intentus.

18 Deniq; duo decerpti è flore Scholasticæ juventutis. Alter Molinis V. sept. anno æt. 25. Soc. septimo. Natalibus, moribus, ingenióq; ingenuo, M VICTOR DE VANSAY triennio jam Magister adolescentum ad omnem virtutis & literarum ingenuitatem peringeniosus instinctor. Alter Aureliæ ubi anno ab hinc duodetrigesimo primam lucem viderat, supremam vixit M. PHILIPPVS RENAVLT eo die qui præsentatæ DEIparæ sacer, Philippo semper in religione fuerat, tum causâ dilectæ semper ac apprimè percultæ DEIparæ, tum quia eodem die ante novennium Societati fuerat aggregatus. Quatuor annos in humanioribus disciplinis tradendis posuerat, venerationi amoriq; ab omnibus impetrando facillimus, ob eam, quæ religiosâ moderatione ornatior in illo eminebat, morum & pietatis eximiæ svavitatem.

29. Octavus decimus inter Patres diem in nova Francia 10. Maij clausit P. JACOBVS BVTEVX Gallus, plumbeis globis in itinere ab Hiroquæis trajectus; vir orandi, & patidi artibus apprimè cultus. De quo suo loco plura. In Aprili ineuntis hujus seculi natus, & anno 1620 in Societatem receptus, confecto Theologiæ curriculo anno 1634. in septentrionalem Americam abijt, magnis

illic

illic laboribus, & à finitimis Huronum hostibus cruentâ morte perfunctus, in cujus morte quia satis accuratè narrari non potuit, nihil repertum est quod argumento sit eum in fidei odium esse occisum: tametsi non deessent argumenta quæ illi hoc decus affirmarent. Certum est, illum animarum studio in illas oras, & in iter illud unà cum ovibus suis suscipiendum se dedisse; ac illarum Christo servandarum amore non ignarum periculi capitalis ad mortem se simul ac ad iter adornasse, ut suis ipse literis 4. Aprilis disertè datis testatus est.

30. Alepi in Syria 6 Januarij simul ad labores & coronam felici morte appulsus est P. LAZARVS BROVARI Metensis, 4. vota Professus, vir pio & constanti ad gloriam divinam provehendam ingenio. Ætas illi infra 50. annos, corpus & animus ad labores obedientiæ ac animarum acriter experrectus. Grammaticam præ Philosophia; rusticas præ Vrbicis conciones maluit; divinæ Eucharistiæ honoris apud alios etiam studiosissimus. Obediens usq; ad mortem. Medico enim aperiendam esse venam dicenti, expertum se dixit noxium id sibi fore: urgenti paruit, & confestim sine voce, sine sensu, intra triduum sine anima fuit. Svavissimè lachrymabatur in morbo, Chri-

ſti memoriâ, deſiderióq; accenſus.

§. 6. *De Syria.*

31. Claudo annuas ijs quæ anno 1651. & 1652. è Syriaca miſſione decerpo. In Civitatibus nobiliſſimis Alepo, & Damaſco; & in Tripolitano, Sidonióq; emporijs laborat egregia induſtria Sociorum in ipſis propè Chriſti veſtigijs. Alepi miſſio Beatiſſimæ DEIparæ dedicata: cui etiam Sodalitium ſacrum habet ac fovet flore fructúq; lætabili. Scholarum, indigenarum variæ nationis & advenarum cura operam ſociorum læto ſucceſſu exercet. Inter Arabes & Maronitas res ita geſta, ut Archiepiſcopus Dominicanus è Perſide gratulatorijs literis datis gratias egerit pro meſſe tam lætâ. Neq; tamen deſunt adverſarij patientiâ pervincendi: quorum nonnulli etiamnum vitulina ſacrificia offerunt, parte Sacerdotibus cedente, parte plebi, idq; confeſsionis & communionis loco eſſe affirmant. Patriarcha ſuperſtitiones rei ſuæ familiari non inutiles obtentu traditionis Apoſtolicæ honeſtat; & famæ ſuæ maculas jejunijs expiat; imò & ducendis filis laneis, more muliebri. Epiſcoporum unus ad fidei Romanæ unitatem adjunctus, privatam, eámq; religioſam vitam degit ob fidem exul. A Suritanis eti-

am,

am, seu Jacobitis bona spes; Nestorianis quoq; reductis non paucis,

32. Inclinantem Turcarum potestatem, & spes Christianis lætiores ostentant quædam quæ habent aliquid admirabilitatis, in terra, cœlo, mari, & aëre. De his ita literæ inde datæ: Hierosolymis contigit, ut extans Lunæ crescentis figura super fastigium fani primarium Mahometanæ superstitionis (ubi olim templum Salomonis) obversa versus orientem, ad occidentem sponte se converterit. quod casu factum rati Turcæ, eò evadentes ad ortum reposuère: sed vix ad ima devoluti vident, pleno die, ad occiduas partes redijsse. Figunt altiùs sed rursus illis abeuntibus, ad occasum ipsa revertitur. In Bethlehemitico solo observatæ per diem columnæ duæ in cœlum se tollere: quarum altera rubra, viridis altera (hi sunt colores Turcicæ tesseræ) ferebant arcum utriq; innixum: cúmq; ad Solem usq; meridianum evectæ sunt, continuò evanida facta tota machina est. Etiam in Luna quædam visa Turcis minari, quæ omitto. *Quædam de Cælitibus in Syria.*

33. Sidone quotquot se voverunt S. Xaverio, gravi licet ac periculoso in morbo, haustâ aquâ intincto ligno primæ sacri corporis capsulæ, convaluère: uno excepto, qui

ad

ad alicujus alterius etiam opem confugerat. S.P. Ignatij aquâ plures à sortilegijs malè habiti sospites evasêre.

34. S. Josephi ope urinæ difficultas sublata, vitam cuidam jam ferè abeuntem retinuit. Sæva tempestas eò increverat in mare ut nauclerum abijceret; & multa supellex eijceretur è navi. Svasu nostri nuncupatum votum Sacratissimæ DEiparæ, omnesq; servati; venti vi mox mitiore.

35. P. Joanne Amicu audiente, Turca suos diserte libereq; monebat ne quid in Christianorum templa auderent. Sibi enim malè cessisse, quòd in templo ruinæ obnoxio S Theophili imagini oculum eruisset. Nam, inquit, continuò sanctus iste à latere meo stans funem collo meo injecit, meq; traxit ad arborem, inde tanquam è patibulo suspendendum. Adfuêre ij quos clamore ad opem exciveram: & me, nullâ trahentis manu visâ, fune sursum trahi mirati, dixêre votum DEO à me nuncupandum: nam criminis cujuspiam reum me videri è pœna. Nuncupatum à se votum dixit; & mox libertate donatum ab occulta illa quâ suspendebatur manu. Ajunt ab eodem Turca S. illi Theophilo perpetuam lampadem appensam.

De

De Apostata.

36. Armeno cuidam fidei Christianæ desertori diu cum conscientiæ stimulis, & adversis fortunæ cladibus colluctato, eóq; apud nostrum ita se angi ac premi acerbè conquesto, Sacramentum pœnitentiæ nequicquam svasit noster. Is hoc anno in Alepensis Gubernatoris familiam honorarij famuli titulo, Agam nuncupant, penetravit, & nescio quo fortunæ male blandientis radio, seu ejus potiùs spe illusus, Mahometo nomen dedit, non multos post dies repertus pendere in cubiculo manu suâ, morte voluntariâ strangulatus. Quæ omnia minaciter & amanter alios in fide retinent, alios invitant; Nostros verò incitant ad ingentem messem totis viribus colligendam: & quia impares sunt operæ agro tanto, servient ad alios quoq; in partem laboris & gloriæ accersendos; cum id à nobis flagitent multa omninò millia animarum, quæ istic in sempiterni exitij periculo relinquuntur quia subsidiariæ operæ non suppetunt. Plura de his missionibus Historiæ reservantur.



AN-

ANNVÆ PROVINCIÆ GALLOBELGICÆ. M.DC.LII.

Recensuit hoc año 1652. Provincia Gallobelgica Socios 590, &, ex ijs 345. Sacerdotes.

§. 1. *Fides Catholica, & Catechismi.*

1. Ab hæresi ad fidem hoc anno septuaginta quinq; conversi, præter eos qui incerto numero indicantur. Generali autem expiatione animos per pœnitentiam renovarunt 960 Catechetica institutio, ne omnia de illa omittam, hoc videtur palmare habuisse industriæ magnæ indicium, quod in unico InsulensiCollegio, unde licebit reliqua æstimare, habita illa sit per paroecias, ac scholas quas dicimus triviales, locis facile quinquaginta quinq;.

§. 2. *Beatissima Virgo Deipara, & Sodales.*

2. Perquisitæ usq; quaq; occasiones à Patribus ad gloriam hujus Virginis & amorem latiùs proferendum. Ariæ in principe Vrbis Basilicâ, Nostro apud concionem adnitente, antiquata jam olim Deiparæ Virginis, quæ istic Panetaria dicitur, pietas in pristi-

pristinum florem rediijt: populo id agnoscente, ac fatente, Societatem in laudes Reginæ cæli quasi professoriam lingvam habere, quæ pro sancto meritoriæ eloquentiæ pretio abundè habeat, si quid pro illius laude possimus. Et annuit Virgo Mater bonis conatibus quando id quod svademus nos lingvâ, beneficijs illa persvadet. Nam & Ariæ, per hosce annos, quarto novendialium ad nostram B V. precum die Mater vidit filij pedem, pro quo votum nuncupaverat, hactenus fœdè miserrimeq; retortum, tristiq; spectaculo deformem, integritati restitutum; re postea ab Episcopo ritè probatâ, sacro Eucharistico, typis, versibus celebratâ.

3. Duaci, quemadmodum in Græcæ Academiæ limine olim visebatur amoris effigies, ita sanctiore studio in publicâ Scholarum areâ Reginæ Sapientiæ imago eapropter est collocata, ut abusq; mane per totos dies Scholasticos, dum frequens & pia juventus ad gymnasium affluit, flexo reverenter genu ab omnibus consalutetur Dei Mater: quam rem in consvetudinem & exemplum ituram sperare fas est.

4. Luxemburgi nostra Deipara consolatrix, plenum solatij nomen felicibus beneficentiæ argumentis tuetur. Ejus ope Carmelitana Sanctimonialis à febri, ac diro hydrope

drope liberata, medicis eo majori fuit admirationi, quò magis omnem de illa in vita retinenda ſpem prorſus abjecerant. Alius levi obſequio illi exhibito, à 40. annorum peccatis & abyſſo, in lucem emerſit.

5. Namurci excitatum eſt eidem cæli Reginæ in ſuburbio ſacellum; quo etiam ſolenni celebritate cum nobilitatis urbicæ, tum ſcholarum ſtatua Virginis ex Vrbe deportata eſt. Puer à peſtilentibus maculis Bethuniæ repentè ſanus & mundus evigilavit, poſteaquam noſtræ Auxiliatrici ejus avia ſacrum ſolenne pro nepote vovit.

§. 3. *Honor cælitum.*

6. Tornaci, cùm è Patribus quidam pro urbe peſte contactâ vires ac vitam ad ſancta ægrorum obſequia devoveret, priùs quàm illam Charitatis palæſtram ingrederetur, rei auſpicatò gerendæ Magiſtratus Vrbis religiosè voluit proludere; quando in templo noſtro, in S. Rochi eorum potiſſimùm temporum advocati honorem convenit, & ſolenne divini Sacrificij placamentum offerri voluit: domi verò noſtræ Patrem velut à ſuis peregrè abiturum, unà cum Collegio univerſo liberali menſâ honoravit.

7. Hui 20. Octobris ſacra SS. Victoriani, & Germani MM. corpora, feſto cleri univerſi, omniúmq; religioſorum ordinum comitatu,

tatu, & magnâ Vrbis ad pompam armatæ ac effusæ gratulatione, è loco suburbano, in navi primum ad elegantiam spectatè adornata, deinde Sacerdotum humeris in ædem nostram splendidè sunt deportata. Duaci absolutum, & apertum publicæ pietati Sacellum S. Josephi, magnâ spe accessionem capturæ per hanc etiam novam illecebram pietatis. Accessit S. Florentij M. hierotheca argentea, & reliquiæ: cui sancto debere se fatentur nonnulli quòd à peste correpti se velut redivivos aspiciant.

8. SS. Ignatij & Xaverij honores augescunt. Leodij decem asceticis eruditi. Bethuniæ febrim hecticam à juvene invocatus Ignatius & epota aqua Ignatianarum reliquiarum attactu sacra, abegit. Dionanti alius profluvio sangvinis ad ultima devolutus extemplò convaluit, quamprimùm celebrem quotannis S. Ignatij diem se habiturum voto promisit.

9. Secularem S. Xaverij anno 1552. 2. Dec. felicem immortalitatem adeuntis annum eâ pietate coluit potissimùm Collegium Insulense, quam omnes perforè accommodam ad cultum admirabilis illius Apostoli putavère. Præter longum celebris ad S. Stephanum æris campani sonum, & alia extraordinariæ celebritatis invitamenta, prægran-

grandis ac elegans Collegij nomine sancto cereus est oblatus: oratio de centesimo Xaverianæ gloriæ anno perorata: appensa undiq; numero, splendore, concinnitate laudata emblemata: habita iterùm ad confertam concionem panegyris; cantatæ deniq; Lauretanæ Virgini à quâ salutatâ in Jndiam movit Xaverius, Litaniæ, diei lætitiam, & Vrbis aures, oculos, animos implevêre: nam usitata templi ornamenta, & reliqua summis celebritatibus consveta prætereo. Reliqua octo dierum solennitas tenuit, repetitis alijs ac alijs ad ingentem populi vim dictionibus, affixis majoribus per plateas emblematibus, accensis nomine Sodalitatum cereis, collucentibus circa Sancti imaginem ijs quæ populi pietas affigebat luminibus, junctâ civium atq; nobilium symphoniâ, proposito ad publicam adorationem divino Sacramento, cui nobilissima selectorum è flore juventutis 150. capitum corona supplicabat accensis totidem facibus perillustris; nocturnas quoq; tenebras magnâ intermicantium ignium festivitate & concinnitudine distingvente.

10. Ad Valencenas in pago Onaigensi in honorem SS. Ignatij & Xaverij novum est Sodalitium excitatum, plurimâ ejus populi pietate. Puerperæ præsens illorum auxilium

um expertæ gaudent filijs ex eorum nomine appellatis beneficij simul & nominis benefici memoriâ recreari. illorum verò festa, præmisso religioso jejunio, vicinis quoq; pagis ad Societatem pietatis confluentibus, pergunt quotannis cultu quàm possunt maximo revereri.

§. 4. *Elogia defunctorum.*

11. Ex ijs quos hic annus æternitati transcripsit, laudant præcipuè annuæ Huenses 6. Sept. P. HENRICVM DE MARCHE: qui laboriosæ charitati humilitatis gloriam singulari contentione jungebat. quocirca visus est omnem diligentiam plebeis abjectísq; magis promptè ac libenter, & cum quodam quasi saporis condimento, impendere.

12. Insulis præstans ingentis patientiæ documentum post se reliquit 26. Maij moriens EVERARDVS VANDENEDEN Coadjutor. qui ad stuporem, & horrorem etiam medicorum (ita de illo literæ) tertiò, sectiones, & ustiones in maxilla sustinuit magno animi robore, oculis intentis in imaginem Crucifixi, nec adstrictus, & tamen immotus; tametsi laniena multas ad horas, imò ad integrum penè diem duraverit. Ibidem è vivis excessit P. PETRVS GREDIN Coadj:

formatus, de templis, Sodalitatibus, pauperibus insignitè meritus.

13. Leodij tres diem obière. P. GOTTIFREDVS BOVRDOVX 3. Feb. tenerâ erga Superiores obſervantiâ, & nunquam impromptâ vel ſegni charitate: P. HENRICVS BOVRCHY anno æt. LXXIX. ſinceræ indolis, ac præcipuâ erga Deiparam religione propenſæ: P. EVSTACHIVS LORCHY 19. Novemb: diligens SSS. TRINITATIS, & abſconditi in Evchariſtia Chriſti cultor, quem interdiu ſæpiùs, à menſa verò ſemper viſitabat. Bethuniæ P. FLORENTIVS VAILLANT domi & foris longè gratiſsimus, & Collegij benefactor.

14. Montenſes præter P. JACOBVM BERNARD concionatorem veteranum, & aſsiduâ ſui ad mortem apparatione inſignem, etiam JOANNEM DANIEL Coadjutorem amiſère: quem ajunt cùm ante annos aliquot æger decumberet, à Beatiſsimâ Virgine Matre coràm recreatum allocutione maternâ, & non ſinè miraculo perſanatum, objecto etiam per quietem viſo cæleſti, atq; colloquio.

15. Nivellis, at è Collegio Namureenſi 12. Jan. diem finijt mortuus manè repertus in lecto P. PETRVS CHERON, qui miſsiones magnâ virtute, fructu inſigni, ac omnium

um laude obivit, annis XVII. & se ad mortem repentinam, ut præsagiebat, quotidianis industrijs comparavit. Tornaci P. JACOBVS COVLON Coadj Spir. Missionarij, Præfecti Spiritus, ac templi officijs functus. 6. Martij P. JOANNES MALLET, disciplinæ ad amussim, & modestæ submissionis retinentissimus. examen particulare nunquam omisit.

16. Nivellis præterea duo desiderati, alter 14. Sept. P. MICHAEL MALAPERT, vir orationis & pacis: alter 23. Octob: M. MICHAEL VERHORST Aquisgrano Nivellis tunc hospes ad beatam patriam appulit moriens inter suavia oscula quæ Crucifixo, & Societatis regulis imprimebat, juvenis in quo imitatrix quædam erga B. Aloysium, & Berchmannum observantia elucebat.

17. Valencenis 16 Maij mortalitatem deseruit P. PHILIPPVS DOVTREMAN, Pædagogi Christiani plusquàm quadragies idiomate vario impressi Author, de Catechesi laudate meritus.

18. Audomari 10. Julij piam animam egit P. DIONYSIVS DESANOIS, ibid: anno 1600. natus 2. Martij, in Societate anno 1620. initâ 4. vota Professus, Latinè & Græcè doctus, & perquisitæ eruditionis. Post gubernatum Montense Seminarium, nunc

rebus ſpiritualibus præfuit, multus cum Deo, reverens majorum, & tolerans in adverſis. Reliqua de illo ſic literæ: Pater è noſtris, cui, dum viveret, fuerat perfamiliaris, è flammis luſtralibus illi ſe videndum præbuit. Ejus congreſſus & colloquium auxit & cumulavit deſiderium juvandi animas purgantes: item illum ſtrenuè incitavit ad virtutes amplectendas, ubi ab illo amico didicit, viros religioſos tormentis atrocibus ideò torqueri, quia divino obſequio & proximorum ſaluti procurandæ parùm addicti fuerunt.

19. Indidem oriundus, & anno 1585. natus P. STEPHANVS BRAVWERE Coadj. form. poſt procuratoris & miſſionum officia, herniæ incommodis afflictus, apoplexiâ demum proſtratus dolores ac vitam finijt 29. Decemb: vir verè humilis, & cùm per valetudinem plura non poſſet, Patres foras euntes libenter comitatus.

20. Duaci curſum vitæ conſummavit 16. Octob. P. MARTINVS L'HERMITE Laureti olim pœnitentiarius, ut vocant, Duaci Philoſophiæ, Matheſeos, Theologiæ Magiſter ac Præfectus, nec laboris nec ingenij laude vulgari. Adeò quicquid vel arduum, vel etiam odio obnoxium erat, citra recuſationem de obedientiæ nutu agebat, ut Su-

periori

perioribus quietis asylum; & extemporale receptaculum videretur. Missionem Indicam, nequicquam expetitam, pensavit studio animarum; & orandi, seq; affligendi assiduitate. Totos dies aliquando jejunus per legiones concursabat multifariam, satagens in ijs, quæ istic & multa & magna sunt. Inde illi febris, & mors.

21. Namurei in Collegio, quod per ipsos XII. annos prudentiâ, & solertiâ prorsus singulari gubernârat, mortem obijt 11. Feb: P. JOANNES de RENESSE 3. vota Professus, celebris in Domo Prob. Tornacensis templi è Patrimonio suo Author. quo etiam adnitente augustum Namurei templum & fundamenta accepit, & non parùm assurrexit. Divinæ Matris officium, & immaculatæ Conceptionis, nullo etiam in gravissimis morbis die omisit. Ajunt illum juvandarum in purgatorio animarum studio Psalmum *De Profundis* pœnitentiæ loco suis pœnitentibus per ipsos XXII. annos imposuisse, pro confessionibus ordinarijs. Tolerantia in illo immortaliter admirabilis eluxit, quando horrendam nobilissimæ suæ familiæ ruinam, ac fratris miserandam catastrophen, aliosq; rerum eventus, morbos, dolores longos, & pertinaces, ita sustinuit, ut passim diceretur publicum patientiæ spe-

ctaculum, & exemplum. Cruciatus ille animi quo generalem confeſsionem crebriùs iterabat, de ſalute ſuâ ſemper anxius, eóq; mortis metu atq; judicij ſemper ſuſpenſus animo, paucis ante mortem diebus in ſuavisſimam animi ſerenitatem, dulcem de divinâ bonitate fiduciam, & mortis flagrans deſiderium eſt converſus.

22. Montibus migravit è vita GVLIELMVS GERARD Coadjutor in Charitate ſuavisſimus, in labore ac ſilentio rigidus & religiosè conſtans, etiam in ætate extrema. Tornaci autem peſte P. ROLANDVS THONNA magni ſemper in modeſtiâ obedientiáq; exempli. Ibid. P. EVGENIVS WINOT 4. vota Prof: longâ 18. menſium tabe abſumptus.

ANNVÆ GERMANIÆ SVPERIORIS M. DC. LII.

IN Catalogo ſexcentarum ſeptuaginta octo perſonarum hujus Provinciæ, Sacerdotes fuère tringinta duo ſupra trecentos, in Collegijs viginti & uno, duabus Probationis Domibus, & alijs domicilijs ac miſsionibus.

§. 1. *Fidei Catholicæ incrementa.*

1. Centum ſexaginta duo, præter novem

in

in miſsione Pargſteinenſi familias, hæreſim exuère. Vna ex his fuit quam verbera, & carceres, ac hæreditati capeſſendæ ſpes à fide ſancta dejecerat. Sed ad concionem hæreticam aditur æ membra negabant officium, & dolorum vis magna perquàm acerbè increſcebat. Sceleſtam ſuam inconſtantiam deteſtata, mox valuit: & ad noſtros Eluacenſes, velut ad ſecuritatis aſylum confugit, faſſa quid egiſſet, quídq; fuiſſet perpeſſa. parata deinceps exul, in fide ſecurior vivere quàm apud ſuos ditior ſinè fide.

2. Ratisbonæ inter hæreſin dedoctos una emicuit, quæ à biennio toto ſextam quamvis feriam ſinè ullo cibo duxit quò pro accepto à DEO per noſtros ante triennium fidei lumine grata eſſet. Pergit porrò idem agere ut religioſis in vinea Catholica divinæ gloriæ ſtudentibus copioſum laborum pretium in animarum ad fidem ducendarum quæſtu reſpondeat. Certè iſtic hoc anno potiſſimùm illuſtres quà voce quà ſcripto de heterodoxis relatæ victoriæ illos ad ridenda mendacia, & ruborem redegère. Opinio eſt eorum non nulli animam quoq; ſeu pudore ſeu rabie actam è vita in tenebras abijſſe.

3. In Miſsione Sulzbacenſi vir ſexagenarius & in Lutheri deliratione pertinax, per

iter nescio quid de secta sua meditat⁹, instar Sauli tristia omnia spirabat in Catholicos, si quid posset. Hunc ita furenter minantem miro artificio cepit benignus DEUS. Nam sic meditabundo ecce, seu ab Angelo, seu casu objectum in via media se objicit rosarium appenso numismate. Ea res adeò repentinò illum alium ex alio fecit, ut se captum à DEO senserit, supplices manus dederit veritati, ad nostrum instruendus, firmandus, expiandus accesserit, adeóq; firmus in fide perstiterit, ad defectionem etiam à Principe invitatus, ut Catholici passim cognomentum retulerit.

4. Augustæ cujusdam Principis hortulanus molestæ, quam secum per omnem propè septentrionem in corde circumtulerat, lanienæ remedium reperit apud nostros fidem amplexus Catholicam. Ait sibi toto biennio antè, spectabilem oblatam speciem Virginis candidis amictæ vestibus, quæ minaci quadam frontis ac vultus majestate, ipsisq; digitis objurgantis speciem referebat. Sæpiùs ab illâ exterritus, tandem cessit, paratus omnia chara priùs quàm fidem deserere.

§. 2. *Pœnitentiæ Sacramentum.*

5. Plenâ universæ vitæ pœnitentiâ qui animum

mum expurgârunt, fuère plus quàm quater mille quadringenti quinquaginta. Ingolſtadij militaris vir non prius quieſcere potuit, à conſcientia generalem exomologeſin acriter inſtanterq; urgente, quàm parêret. Affirmavit verò Patri apud quem priſtinas confeſsiones omnes rite retexuit, omne id cuſtodi Angelo ſe debere, cujus incitamentis agi ſe ſtatim ſenſerit, cùm ſe illius cultui ſolito impenſiùs mancipâſſet.

6. Ibidem quidam pacem animi apud noſtrum in Sacramento reconciliationis repererat. Mutato conſcientiæ ductore, in veteres iterùm eáſq; inexuperabiles curas, anxietatémq; perpetuam ſe reperit incidiſſe. Ad noſtrum ubi revertit, gratulabundus dixit; ſerenam quoq; mentem ſtatim ſibi à turbidis illis tenebris quieviſſe.

7. Ruſticus à moroſâ ſuâ & jurgioſâ Xantippe tandem actus in rabiem, Ergò, inquit, in nomine diaboli te tuámq; domum deſero, infelix mulier! ad te ne quidem, ſi id inferi juſſerint, retrahendus. Egreſſus domo in cæcâ nocte, ſe à neſcio quo rapi perſenſit, & momento in ſilva ſiſti. Vbi trepidus roſarium arripit. Quod ubi vidit immundus tenebrio, miſerum illum fœdè laceratum in medio ſilvæ deſtituit. Domum vix mentis & vocis præ ſtupore compos redijt.

dijt, & cruore fœdus, capillo horrendum ſurrecto, voce quâ potuit ſæpiùs interceptâ eluctatus tandem eſt, narrando id quod erat. unde rei geſtæ fama latè percrebuit. Vix diluxit cùm Ingolſtadium ad noſtros adijt, & confeſſario admiranti luculenta plagarum veſtigia oſtendit, cæleſtis Matris opem agnovit, lingvæ ſuæ intemperantiam deteſtatus.

8. Oeniponti vir dæmoni ſpontè devotus, nunquam niſi cum armis cubitum concedebat, quibus vel advenientem hoſpitem, cujus mancipium ſe funeſtâ recordatione meminerat, averteret; vel ne ab ipſo jugularetur, inviſam ſibi lucem priùs ipſe abrumperet. Sed ubi noſtro innotuêre armatæ illæ nec ſecuræ excubiæ: Perſvaſit viro ut conſcientiæ provideret. Vbi ergò diræ omnes Sacroſanctâ pœnitentiæ vi è corde ſunt pulſæ, hanc eſſe artem didicit, & verò expertus etiam eſt, citra ferrum, quàm ſecuriſsimè dormiendi.

9. Inter eos quibus extremum ſub agonem Sacramenta ſunt miniſtrata, & de ſuprema neceſſitate diligenter proviſum, non eſt contemnendum ad noſtrorum animos acuendos illud à viro nobili Lucernæ profectum de noſtris elogium, eo maximè tempore, quo mentiendi cauſæ omnes ab-

eſſe

esse solent quàm maximè. Dixit ille palam, nullos in Vrbe homines esse, qui & vivere meliùs, & mori securiùs docerent quàm Societatis JESV Patres. & ad omnem Patrum nutum exquisitè obediens æquissimè obijt.

10. Bellizonæ ab ipso Christo Societatis operam commendare dignato commendati sumus, si fidem habeat id, quod de se retulit unus quispiam, qui longâ hypocrisi per annos plures enorme in pœnitentiæ Sacramento sacrilegium trahebat. Is tandem aspectabili dœmonis formâ conterritus, & à Christo qui se paulò post videndum offerebat benignè confirmatus, atq; ad sacrum nostrum tribunal ire jussus, vulnus detexit, rei gestæ seriem explicuit, & vitam deinceps viro serio ad cor ac DEUM reverso dignam instituit.

§. 3. *Beatissima Virgo Deipara.*

11. In Eluacensi Missione ad nostram B. V. Lauretanam peregrinatione promissâ, fœmina filium parvulum in aquam casu delapsum, ibiq; diu relictum, tandem extractum, ac toto unius horæ spacio rigidum, intra septem horas ex integro sanum recepit.

12. Ibidem habebat alius quinquennem filiam

filiam omni lingvæ usu destitutam. Voto ad nostram eandem Virginem nuncupato, haud multò post illam jam loquentem ad templum adduxit.

13. Ibidem prostraverat virum aliàs robustissimum nescio quæ cùm virium, tum maximè manuum pedúmq; defectio, quæ anno integro illum in lecto attinuit, se ne in pedes quidem erigere valentem. Nostro verò peregrinationem ad B. V. nostram svadenti obsecutus, voti concepti eam vim sensit momento, ut iter ingredi potuerit grallis nixus; & aliquot confectis leucis, nullo jam fulcrorum adminiculo iter porrò promissum ad BV. intendit, & suspensis in templo ligneis adminiculis, accepto beneficio fidem fecit, ac memoriam reliquit.

14. Ibidem nobilis puella valetudinem afflictissimam nec ullâ jam medicorum spe vel industriâ erigendam ubi nostræ Virgini commendavit, & argenteum donum misit, è periculo, & morbo emersit. Principem quoq; loci Episcopum à morbo decem mensium liberavit, ipso id affirmante: pagum integrum voto sibi obnoxium reddidit pagi pecore à contagione exempto. Ajunt & bovem, quem jam pro desperato, lue contactum in silvam eduxerant; ab ijsdem à nostrâ Virgine domum reducibus repertum

rum validum, ac extra metum periculi: neq; cladem ultra grassatam.

15. Inter alia MARIANÆ pietatis invitamenta sunt etiam ea quæ de illius gloria in scenam producuntur. Taceo alia dramata pietatis plena, ut illud fuit Constantiæ de trino perfecto in theatrum dato, nempe Quodvult, DEVS, Deus dedit, & Deo-gratias: illud est hujus loci, quod Veldkirchenses nostri, eximiâ cum venustate, sub anni literarij finem, coram illustrissimo spectatore theatro dederint Canticum MARIANVM, insigni plausu, & sensu svavissimæ pietatis. Friburgi Brisgojæ quoq; extaticos Dionysij Areopagitæ in Deiparam Virginem amores dedit scena piâ cum voluptate spectata: uti & Dilingæ ANNVS DEIparæ Matri sacer placuit ingenio & pietate.

16. Nec illud omittendum, aut inter Virginis beneficia postremum est, habetq; in re solidum quiddam, in modo autem aliquid etiam admirabilitatis. Quodam in loco quidam sub antiquo conscientiæ inquinatæ ulcere animi anxius ac gemens, neq; tamen ulcus ulli aperiens, DEIparæ quotidianis precibus, nec illiberali eleemosynâ supplex, illud sibi per illam à DEO impetrari flagitabat, ut ante supremum vitæ diem liceret sibi de ijs quæ tegebat flagitijs & do-

lore

lore & exomologesi seriâ pœnitere. Impetrasse mox fuit in confesso. Nam lethali percussus morbo, nostrum accersivit, cordatè ac dolenter conscientiam, lites, & quicquid ad mortem optimè obeundam desiderari solet, veniâ liberaliter omnibus datâ, remissis quoq; pecuniarijs debitis, composuit, & divinæ Matris apud benignissimum DEVM potentiam grato animo exosculatus atq; admiratus quievit in Domino.

17. Etiam Neoburgi ad Foyensem templi nostri Virginem votum promisit, & desperatam à medicis sanitatem recepit illustris parvula, facta novum charo parenti ad colendam tam beneficam Virginem incitamentum. Dilingæ datæ in lucem de Virginis cultu & laudibus conciones.

18. Landishuti, quidam expiato persanctè animo se DEIparæ totum transcripsit Sodalium quoq; albo adjunctus. Ajebat ille se Augustæ Vindelicorum à suæ artis contribulibus heterodoxis frequenti disputatione lacessitum, è respondendi anxietate ac inopia in dubitationem incidisse. Ita hæsitanti spectabilem in somno se dedit Virgo DEIpara, qualis ferè dolentis imago pingi solet. hanc gemini Angeli stricto ense armati stipabant. Eorum alter, Heus tu ajebat, si ad sectarios desciveris, hoc ego ense te de vita

ad

ad inferos deturbabo. Timor illi hæsitationem omnem abstersit, atq; ut constanter saperet consilium dedit.

19. Oetingæ ad Ecclesiastem nostrum à concione 1. Maij descendentem adducta puella quindecim annos nata. Huic natura pedes in tergum subduxerat, sine ulla ijs utendi facultate relictâ. Audiebat suos dicentes, ad Oetinganam Deiparam ad concionem plurimos proficisci: & illachrymans, O, inquiebat, utinam & mihi liceat illuc perrepere, & audire ac videre quæ vos audietis atq; videbitis. Audivit desiderium pauperis DEI Mater! & pedes repentè laxati sunt, atq; adeò restituti, ut ad iter essent omninò idonei. Quocirca Oetingam concessit, & per quam sospes esset, grata narravit. Plura hic essent digna memoriâ: sed quæ non tam ad nos quàm ad historiam Oetinganam ferè pertineant. Vnus tamen etiam è nostris ejusdem ope colicam à se depulsam est gratulatus.

20. Landspergæ Bernensis quidam, postquam sibi à DEIpara in eremo Helvetorum celebri claudicantem tibiam supra naturæ vires correctam vidit, beneficij memor, apud nos octiduum substitit, ut Romanæ fidei arcana commodiùs doceretur.

§. 4.

§. 4. *Sodalium virtus.*

21. E Sodalium ferè albo, tanquam fœcundo ſinu, contemptâ caducâ mundi ſpe ad æterna in cœnobijs varijs trangreſsi ſunt paſsim plures nullo numero adnotati. Quorum numerus conſtat, fuère (ijs qui Societati ſe junxère exceptis) centum duodecim. Ex ijs, quos æternitati adſcripsère Sodales, non tacendus ille Tridenti vir nobilis, qui ſupremo trium horarum ſpacio ſeipſum pulcherrimè cohortatus, ultimum ſpiritum ijs virtutum illi tempori maximè conſentaneàrum exercitijs adornavit, ut vel audire ſanctam illam theologiam, & elaboratam virtutem fuerit longè ſvaviſsimum. Idem, numiſma quinq; Sanctorum indulgentijs inſigne, impoſuit ori, & mordicus ad extremum usq; retinuit, nullâ vi ſibi eripi paſſus; atq; adeò cum hoc velut naulo æternitatem feliciſsimè, ut vita innocenter acta ſperare jubet, adivit.

22. Ingolſtadij non defuère de primorum ſubſellijs qui pro inſtaurationis temporе Partheniam dedicationis formulam illuſtriſsimo ſangvine deſcripsère. Ibidem in Convictu, Colloquij MARIANI Sodales faſsi aliquando ſunt, ſe convicijs provocatos, & jam armis promptos abſtitiſſe, à Col-

lo-

loquio enim cogitato lingvas ſibi ligatas, & manus aliàs ad noxia prorupturas.

23. Dilingæ Sodalium quiſpiam cùm ſe obſervaret ab iniquitate ſuâ, ſuiq; victoriam in certo quodam genere belli quæreret, pro pœnâ ſibi ipſe decrevit, ut quoties laberetur, pro lapſu quovis offerret DEO aliquot ictuum millia ſibi toto quanto poſſet robore infligenda. Quidam thoracem cilicinum 30. horis continenter geſtavit. Monachij verò non deſuit, qui menſes integros in cilicio duceret: cui ſuppar ille apud Veldkirchenſes non breviore tempore cinctu ferreo carnem affligans: Rottenburgi nemo eſt, qui ferreo cingulo carere velit: quidam qui caruit, ſtatis diebus ejus loco nudæ carni urticas adhibuit. Auguſtæ autem, quidam autumnale à literis otiũ in pago paternæ ditioni ſubjecto tranſcripſit rudibus inſtruendis, adhibitis etiam pro invitamento præmióq; roſarijs, icunculis, aliiſq; munuſculis.

24. Oenipontana Sodalitas hoc anno mirum ad virtutem incitatiùs capeſſendam ſtimulum habuit ab ipsâ cœli Reginâ Virgine commendata. Nam viro cuidam ſpectatæ virtutis coràm adfuit DEI Mater, JESVM parvulum amplexu ſtringens, monuitq; ut ſi luberet eniti ad virtutis faſtigium, MA-

RIANO albo se dederet. Paruit; Præsidem adijt; impetravit. Ibidem quidam, in solenni gulæ in Bacchanalibus triumphantis triduo, ad panem & aquam nil cibi aut potionis admisit. alius unico illius tridui die, de gulâ trigesies, victoriam reportavit, non rarâ aliàs quoq; victoriâ: quæ res in adolescente seculari non mediocri meretur æstimatione laudari. Pertinaces aliorum aures & oculi fideli pactione, nihil quod muliebriter blandiretur, admisère. Alius mulierem procaces manus injecturam, Aquinatis exemplo, flagrante titione fugavit. cujus indoles Martyrij gloriæ tota inhians, cum sangvinem ac vitam dare pro amato Christo non posset, domi & in scholis quæsivit umbram Martyrij, domi à præceptore, in Scholis à commilitonibus verbis auditu arduis avida exerceri. Per ipses 14 dies asseri nudo lectuli loco incubuit; flagelli copia cùm deesset, accenso cereo in tergum desævijt, in omnes vexandi corpusculi occasiones imminens; & nominatim optans, venas nobiles tot quot haberet in corpore omnes ac singulas, totidem funiculorum instar esse, ad se se Christo quàm arctissimè alligandum.

25. Sodalem quoq; fuisse opinor illum gymnasij Halensis florem, quem acerba

mors

mors inopinatò decerpſit. Fuit is Joannes Arbogaſtus Liber Baro ab Annaberg adoleſcens imitatione digniſſimus. Ajunt literæ, notatum eſſe, tertio poſt mortem die cadaver copioſo ſudore manâſſe, nec minùs miratos eſſe qui aderant, quòd nobilis ille vultus, veluti poſthumâ quadam purpurâ, elapſo à morte triduo vivo quodam rubore genis infuſo floreret.

26. Sunt in cætu Neoburgenſi nonnulli, qui certos è cælitibus integritatis ſuæ custodes adſciſcunt, & deſtinatas illum in finem preces nullo die omittunt. Alij cum hic, tum alibi humi ſe ad caſtum ſomnum abijciunt, digitos morſu vexant, aciculis, clavis, igne pro pudicitiâ certant, dum hoſtis imminet, aut jam urit. Alios juvit votum puritatis ad certa dierum vel menſium ſpacia nuncupatum.

27. Friburgi in Briſgoja quidam perturbatam pravo myſteriorum uſu jam inde ab annis undeviginti conſcientiam tum primùm tranquillam ſenſit, cùm exomologeſi præmiſsâ ſyllabo MARIANORVM Civium eſt adſcriptus. Alius infeſtari ſe à furiâ ferè conſpiciendâ magno dolore ſentiebat, Sodalitij gremium illi pro aſylo fuit. Alius voto ejuſdem adeundi concepto, furenter ardentes febres extinxit pharmaco quovis feliciùs.

28. Landishuto Sodalis mœstè turbidus animo, Oetingam abibat peregrinabundus ad illud ſolatium afflictorum. Is in patenticampo virum aſpectu ac veſte honeſtum obviam habuit, ſalutavitq;. Illo nihil reſpondente, peregrinus arcano quodam terrore correptus exclamavit: O SS. TRINITAS! Et perſonatus ille videri deſijt repentino.

§. 5. *Cultus Cœlitum.*

29. Experimento felici tenemus, cœlites in theatris non rarò ſpectatos, plus quàm in librisle ctos, præclaris ſuis exemplis ad imitationem valuiſſe. Valuit Dilingæ Auguſtinus è labyrintho carnis ac ſeculi evolutus, & cœleſtis factus ex toto: Auguſtæ Michael & Gabriel clientem in vitæ agone poſitum cæleſti muſicâ conſolari: Oeniponti Martyrum ſub tyranno Dunaan fortitudo: Halæ Thomæ à Kempis, Solodoræ S. Landelini juvenis, virtus varia, & ad movendum idonea: Bellizonæ inconſtantiæ in cultu cœlitum infelicis exemplum: Eyſtadij S. Stanislaus Martyr: Neoburgi 7. Machabæi, Friburgi Briſgojæ, vale mundo in theatro fecit Magnus Antonius: aliàs pœnitentiæ Magiſter factus eſt Rex Manaſſes: Mindelhemij Alexius, Landishuti SS. Getulius & Symph. roſa cum filijs, cum voluptate ſpecta.1.

ctati. Et laudem in hac aliisq; Provincijs tulit Societas, quòd expulsis è theatro puerilibus fabularum nugis, ingenia cote acuat pietatis, ac è theatris veluti cœlum creat.

30. S Michael Princeps templi nostri Friburgensis apud Helvetos Patronus voto à fæmina invocatus, illi auditionem reddidit expeditam. Ebersperġenses nostri ajunt familias integras à S. Sebastiano in lue undequaq; sparsâ, in medio, citra ullius noxam conservatas. Straubingæ Matronæ morbo insanabili conflictatæ persvasit noster, ut in S. Caroli Card. Boromæi honorem voto reciperet se per anni unius curriculum semel quotidiè Dominicâ & Angelicâ oratione gratam pro beneficio futuram, si convalesceret. Lubens vovit, & ab eo quod per menses plures habeat morbo, adeóq; cibi omnis & vitæ ipsius fastidio, intra triduum se sanam gavisa est. Sancti quot mensibus per sortem dati cultus exquisitâ pietate augescit. Degener habetur Constantiæ, si quis ad frequentem memoriam illum pileo insertum in schedâ non gestet.

De SS. Cosma & Damiano M M.

31. Monachij Sanctis his medicis, qui apud nos coluntur, se ac vitam debet fæmina, quæ subitò ita viribus totis defecit, ut non expectatâ Synaxi, quæ in via tunc erat,

moritura crederetur. Poſtea tamen ita re-ſpiravit, ut ſacro viatico ac unctione muniri potuerit. Tum emiſſo ad SS hos medicos voto, ſecuritati à periculo, ſanitati à morbo eſt reſtituta. Eorundem certam opem ex-pertus è Scholis noſtris adoleſcens, quem catarrhus extra omnem medicinæ opem, ſpemq; poſuerat. Ad funebres Anni verten-tis exequias, die ſequenti de Maximiliano Electore dicturum noſtrum Eccleſiaſten, diarrhœa ipsâ nocte illi diei præſtituto pro-ximâ pertinax ita occupârat, ut & vires illi omnes profligaverit, nec jam ſpes eſſe potu-erit ut celebritati facere poſſet ſatis. Quod medicina non potuit, nuncupatum cum bonâ ſuperiorum veniâ votum fecit: & SS. medici morbum ſtitère; Pater autem viri-bus validus ad concionem diu dixit, & con-tentione inſigni.

De S. Ioſepho, Sponſo Virginis Matris.

32. Increbreſcit magno mortalium e-molumento gloria hujus Divi in hac quoq; Provincia. Friburgi Helvetorum ſolenni formulâ, & innovandâ quotannis ipſo ejus feſto celebritate in Sodalitatis & Sodalium Patronum eſt electus: Conſtantiæ ara eidem in templo noſtro eſt poſita. Noſtris Veld-kirchenſibus apud Epiſcopum adnitentibus,

effe-

effectum, ut is in omni suâ Diœcesi S. Josephi diem deinceps festum esse voluerit. Sancti gloria ibidem scriptis, & crebrâ de illo panegyri, ad populum propagata. Quidam istic à pleuritide, illius auxilio liberatus: alius in egestate magnâ, manifestâ ejusdem ope adjutus.

33. Nihilo his inferiora Burghusij, ubi templum nostrum Josephi clientes plures in cælestem ejusdem clientelam adducit. Sacer Josepho dies instar Paschatis divinis mysterijs celebratur, asylum fortunarum, & corporum. Illi sanitatem alij, alij servatam dum periclitarentur rem domesticam, illi reperta quæ amiserant accepta referunt alij. Infans propè triennis distortos hactenus pedes atq; omninò invalidos, valentes firmósq; recepit, ubi Mater, Senatoris uxor, auditâ pro concione S. Josephi beneficentiâ, novem dierum votum, pedem argenteum, & alia quædam obtulit.

34. Ibidem cùm Junio flagrantissimus æstus torreret omnia, à Clero & Civitate ad S. Nostrum supplicatio est deducta, & mox à sacrificio, eo die toto ac demum nocte cœlum in liberalem & salubrem pluviam se effudit. Eâdem æstate cœlum plus æquo pluviosum annonæ in campis tristia minabatur. Vix ad Sancti nostri aram loci Cu-

rio

rio ſacris eſt operatus, cùm petita ſerenitas paulò poſt ſacrificium ſudo cœlo illuxit; DEO in Joſephi gratiam ad utrumq; parato, & Sancti gloriam confirmante.

De S. P. Ignatio.

35. Jam Ignatius variè in animos corporáq; beneficus, ſacro ſuarum commentationum libello hoc anno exercuit in univerſum ſex & ſeptuaginta: è quibus Dilingæ quatuordecim, ſi & religioſas Virgines numero inſeramus. Ingolſtadij Matrem unam, prolem geminam, alibi plures, præſenti exitio eripuit: plurium febres aquâ extinxit: quendam voluntariæ morti furenter jam proximum, per ſua lipſana menti reſtituit. Dilingæ ejuſdem oleum acerrimos cujusdam dolores abſterſit. Luem paſſim à pecoribus præſtigiáſq; abegit, aquâ Ignatianâ tantùm aſperſis. Ajunt in Reſidentiâ Kaufburanâ, quòd aquâ illâ deficiente, ſtatim ſtriges pecori noxiæ adfuerint, atq; nocuerint. Rottenburgi moleſtos brachij dolores quibus quidam vi veneficij conflictabatur, hæc eadem aqua extemplò abegit.

36. Friburgi Helvetorum aqua eadem plusquàm ſeptingenties expetita. quâ etiam hauſtâ fæmina mente mota, cum vinculo dæmonis muta crederetur, ad mentem redi-

jt, & ad lingvam. Fæmina è qua hactenus fœtus frustatim extrahi semper debuit, nunc sana edidit incolumem, appensis collo S.P. N. reliquijs. Alij ab eodem ibid. ducenti & viginti adjuti. Neoburgi puer phreneticus persanatus. Ensishemij, præter puerperas, quædam persona per S. Patris reliquias in acerbo dolore dentium se momento sublevari sensit, alius desperatam in morbo salutem fatetur sibi ab invocato Ignatio restitutam, idem Friburgi Brisgojæ factum.

37. Bruntrutani æstate ad periculum usq; siccâ supplicationem in S. P. Ignatij honorem ad nos decreverant die postero faciendam; & vesperi ante statutum diem benignus è cælo imber Vrbem anticipatione gratissimâ recreavit. Ibid: Civi primario gravi morborum contractione domi afflicto, vegetus membrorum usus redijt, posteaquam voti religione Ignatium imploravit.

38. Ratisbonæ nobilis fæmina, & quod fortè mireris, hæretica, tamen salutarem sensit manum Ignatij. Hæc per annos complures à nocturnis strigibus cicatrices, & luculenta ungvium defixorum signa patiebatur inops consilij; neq; recenti utero soboli ungves impij pepercere. At ex quo

acceptam auditione famam experimento tentatura, S. Ignatij imaginem lecto appendit, & celebrem ab Ignatij nomine aquam libavit quotidie, salva & secura vivit unà cum prole.

39. Apud Veldkirchenses Dominico post S.P. Ignatij festum die, juventus ejusdem imaginem solenni supplicatione per omnia Vrbis templa cum cantu, & pio splendore circumtulit. Eystadij quendam inquieta turbati animi intemperies domi quiescere non sinebat. Is quotidianam S. P. Ignatij venerationem edoctus, adhibitâ etiam aquâ Ignatianâ, per agros non ampliùs oberrare, verùm domi rem curare didicit mente compositus. Eâdem aquâ, oleo, & imagine sancti Patris fugatus dæmon ibidem, qui puero rusticano vix undecim annos nato, & indolis aliàs non malæ, se videndum ac timendum offerebat, bufonis, aut aliâ tetrâ effigie personatus; & ad horrendas verborum diritates in DEVM, ac DEIparam, domi forísq; vomendas, atq; adeò ad desperationem illũ perpellere totis viribus nitebatur. Ibidem puella S. P. effigiem unam pectori suo cubitum itura imposuit, aliàs valvis, & portæ affixit ab infestâ sagarum colluvie deinceps libera & quieta.

40. Ibid. persona quædam religiosa usq; ad

ad ægritudinem ab umbrâ geminâ eáq; nigriore vexata, S.P.Ignatij effigie, ac ſacrificijs aliquot procuratis, quievit; nigrâ illâ umbrâ reversâ quidem, ſed quæ jam & candidior fuerit, & factâ concinnâ reverentiæ ſignificatione videri deſierit.

41. Sæpè beneficij nomen meruit dolores morte feliciter finijſſe: Id quoq; in Ignatij gloriam Friburgi Briſgojæ operatus eſt DEUS: ubi puella quinquennis in purulentâ corpuſculi tabe longam inter diros cruciatus mortem vivebat, usq; dum admotis teneræ cervici S.P.Ignatij lipſanis confeſtim à ſuis doloribus morte innocentium requievit. Eadem felicitate ſemeſtri parvulo per plures dies epilepſiâ miſerabili convulſo æterna & nulli dolori obnoxia vita illuxit.

42. Landishuti civis repentè pedis uſu ſe deſtitui ſentiens, S.P.Ignatio, tanquã qui & ipſe olim ex pede laborârit, preces vovit, & pedem ſtatim ſanum recepit. Maurkirchij, prolem altero pede curvam, & lividam, ac admodùm debilem una quæpiam ediderat. Orato Ignatio in ſpem excitata, pollicitatione religiosâ adjectâ, intra ſemihoræ ſpacium pedem infantis rectum, vigentémq; vidit.

43. Ambergæ quædam ab aſſiſtente ſibi,

ut

utrebatur Æthiope, ad voluntarium exitium incitabatur. Huic etiam post pœnitentiæ obitum Sacramentum, adhibito Ignatianæ aquæ istic experimentis felicibus celebratæ usu, profligato infesto impostore mens rediit.

44. Straubingæ quoq; magna illius aquæ, olei, ac lipsanorum efficacitas quatuordecim nominatim capitibus profuit: è quorum numero fæmina, cujus brachium fugiente jam carne marcidum erat, vigorem carnemq; recepit, alterius oculo post 14. dierum tenebras lumen restituit: Landspergæ periclitantis tyronis valetudinem à discrimine improviso eripuit, & brevi sospitavit. Putat id quod narrabo prodigij similitudine non carere: Curio Rottwilanus quo potissimùm adnitente istic cœpit institui missio magnæ spei. Is eo die, quo à Senatu, & populo pro Societate advocandâ, est magnâ consensione Decretum, domum redux, forte librum quo familiariter ac diu antehac uti solebat, aperuit, & primo aspectu in S.P.N. Ignatij imaginem incidit, antè in eam usq; diem sibi nunquam visam, ut ipse persanctè affirmat. Pronum illi fuit lætitiâ quâ gestiebat casum in omen felix vertere, ac Societati spes eximia illo etiam omine polliceri.

45 Ea quæ ad Societatis existimationem faciunt, non sunt ab Ignatij, ut authoris, laudibus aliena. Tale illud est vindicis pro nobis DEI documentum. In Residentia Solodorana obtrectatorum quidam vir istic primi nominis, in nos spirans minarum, & si non cædis, certè exilij, furenter minabatur, ajebátq; novum Jesuitarum ordinem post modicum dierum aliquot interjectum, se adnitente, publico Senatûs Consulto, loco pellendum. At hujus atra consilia repentinâ morte strangulavit DEUS Nos ut inimico ad aras amici essemus, illi, triginta sacrificijs DEO oblatis, parentavimus. In Missione Zurzachensi cum incredibili Societatis commendatione celebrata est opera Patrum istuc destinatorum. Irrisor Acatholicus, isq; facilè Princeps, nocte posterâ in silvam abijt, repertus istic postea pendere ab arbore, suspendiosum mortis turpissimæ anathema. Non defuêre Bellizonæ primores viri, qui Societatem magnificis elogijs prosecuti, illam, inter alia vitæ suæ juxta DEI normam instituendæ regulam vocavêre.

De S. P. Francisco Xaverio.

46. Monachij Matronæ per plures dies ægræ, ac in S. Xaverij reverentiam sacræ Sy-

naxis

naxis communionem ſpondenti, ipſo Sancti die ſtatim ſanitas, & lac rediit, cujus inopiâ parvulum ſuum hactenus lactare non poterat. Ibidem in fonte luſtrali cuidam Franciſci datum nomen beneficij circumfert memoriam; Mater enim ultra conſuetum tempus gravida cùm ſibi ac proli metueret, de Sancto ſacrum offerri voluit, illo ipſo die partu & voto potita. Oleum è Sancti lampade Virginum alteri capitis, alteri oculorum dolorem, utrumq; diuturnum ac vehementem, exemit. Simile in capite levamentum poſt votum honori Xaverij nuncupatum experta eſt mulier Rottvilana.

47. Tridenti Roboretanæ fæminæ caput à decidentibus ſcalis ligneis periculoſe ſaucium, admota S Xaverij lipſana, cum vitæ ipſi timerent chirurgi, ſanitatem die perendino reddidere: pacem vero mentis, fæminæ, deſperatis intemperijs in profluentem ſe præcipitare properanti. Aucta in ſanctum veneratio à libello in vulgus dato qui breviter ejus vitam, & miracula referebat, occaſione anni centeſimi quem jam in cœlo agit Xaverius.

48. Landſpergæ vir conſularis, hortatu medici opem in cœlo apud Xaverium quærendam quam ſe ipſe crebro expertum ajebat, ſuggerentis, voto facto, conſcientiâ per

omnes

omnes vitæ annos exploratâ & expiatâ, se à Xaverio morti ereptum testatus est, aquâ intercute, quæ supra vires artis increverat, sic depulsâ. Adolescentis quoq; ibidem Scholastici, defervescens, atq; adeò profligata febris calidà, voti Xaverio nuncupati præmium fuit.

B. Aloysius, & alij duo de Societate.

49. In Missione Veldkirchensi oleum lampadis B. Aloysij tribus dolores arthriticos aut lenijt, aut abstersit, opem manifestam expertis articulis & juncturis. Virgo Sacram illi communionem spopondit, & ab ulcere molesto convaluit. Hirschavij propè Ambergam, honesta Matrona cùm per dies complures inter partus dolores mortem jam potiùs opperiretur quàm partum, affulgente spe repentinâ; manus in cœlum cum voto & lachrymabili voce ad B. Aloysium tetendit & optatis potita est. Constantiæ in sanctitatis magistrum, & auspicem electus Beatissimus idem adolescens, mirum Sodalibus ardorem injecit ad corpora modis perquàm asperis affligtanda: ubi etiam igne ac ferro, citra ullam pugnantium jacturam & cum eximio lucro certatum est in prælijs castitatis.

50. Friburgenses Helvetij P. Petri Ca-

NISII effigiem, ac vitam, domeſtico idiomate, parentibus, ut appendi poſſit, folijs, vulgari typis cœptam lectitant magno gaudio, nec emolumento minore. Ejus roſarium parturientibus præſenti levamento fuit. Infans à præſenti mortis exitio ereptus, parente coram imagine Caniſij de genibus ſupplicabundo. Honeſta civis uſu aurium dies aliquot penitus deſtituta, & auditum recepit, & à cephalalgia ſereno capite levata eſt, Caniſij auxilio implorato: marito quoq; à colicis doloribus per idem adminiculum, exemplo ſanæ conjugis, liberato. Vidua cùm ſe rebus ſuis everti videret, conſternata, cum voce omnem ſenſum amiſerat. Sibi reddita, in nomine Caniſij eleemoſynam erogavit: & ipsâ quâ cauſæ ſuæ Patronus diem objerat luce, Patronum è cœlo agnovit Caniſium, quando in jus vocata, ſupra ſpem omnium, pro ſe pronunciatum vidit.

51. Ipſis literarum Friburgenſium verbis narro quicquid ſequitur: Duæ fæminæ aliquot annis tanto inter ſe odio diſſidebant, ut præter mutua verbera, & diras execrationes jam nihil haberent, & altera earum jam morbo correpta nec ſomnum capere nec cibum poſſet. Videbatur plus omni arte valere malum; cùm neq; apud confeſſari-

lum quicquam profecit; neq; novendiali prece, quam per diversa templa pro se conduxit, efferatos spiritus mitigari sensit. Nimirum hæc gloria placatæ mentis, & recuperatæ pacis, Canisio debebatur. Nam, ut primùm illa religiosè coluit Patrem & stipe datâ, & fusis ad ejus tumulum precibus, mora nulla ingentibus acta desiderijs, adversariam adit, de genu flens pacem rogat, & impetrat; lytro etiam redemptæ amicitiæ relicto, pridie ejus diei, quàm hinc ad cœlos Canisius creditur emigrasse. Quæ omnia (quæ nempe hoc, & ferè priore numero retuli) cum idonea ad fidem persona referre in chartam laboraret, ardens lucerna, quæ pone aderat, cum inspectantium admiratione, occultâ vi, quartùm extingvitur; dum à scribente signo Crucis efformato, & lumen servari, & hæc notari potuerunt. Hæc ib. Fremit nempe Dei ac hominum hostis dæmon, quando amicorum Dei gloria posterorum memoriæ commendatur.

52. Veniat in hunc etiam numerum P. Vincentius Caraffa nuper extinctus Soc. Jesv Præp. Generalis. Illius nomine literis subscripto, ac Tridenti affectis admoto corporibus febres continuò fugatas duæ id in se ipsis expertæ constanter affirmant.

§ 6. *De Odijs extinctis.*

53. Internecinis odijs ardebant quædam conjugia, & aliorum lites plenæ discordiarum. periclitata item quorundam vita mutuis armis dubia, securitati, & amicitiæ restituta, persvasa etiam quotmensiũ exomologesi, cujus usum omnem in longũ temp⁹ odia interceperant. Memorabilis eo in genere ante alios est Sacerdos prope Tridentũ glande plumbeâ jam prope mortem adductus. Is evocato Sacerdoti nostro & veniam, & Christiano, & Sacerdote, & illius temporis articulo dignam svadenti adeò obedienter est obsecutus, ut præter veniam, veniæ quoq; datæ pignus, pecuniâ testamento relictâ illi cujus manu vulnus acceperat, liberaliter dederit; quintâ ferè à vulneratione hora religiosâ morte perfunctus. Augustæ quoq; casta sed in mariti pellicem odio accensa, & cultro adulteræ jugulum petituro armata fæmina, nostri usa consilio, cultrum in præterfluentem abjecit.

§. 7. *De Castitate.*

54. Hanc vario ingenio defensam, votis ad breve tempus conceptis, scrupulis sub plantas ingestis, petito è cælis, à confessarijs, ab ipso igne auxilio, mirâ sensuum servitute, occasionibus ad vivum usq; rescissis, libris & cantilenis prætextatis ex integræ nec

uni-

unius familiæ sinu ereptis, amoribus conjugio adnexis, aut fugâ restinctis, nec semel, nec uno in loco accepimus. Fœmina in agro sola deprehensa, ut domum DEO maritóq; fidelis reverteret, inclamato JESV nomine, id quod pro concione fortissimum præsidium esse audierat, effecit Maurkirchi. Vbi etiam cuidam egestas aptiorem contumeliæ fecerat castitatem: hæc domi sola à tribus lenonibus nec ære liberaliter obtruso, nec precibus, nec viribus ac verberibus potuit superari. Quare attoniti abiêre; uno postea apud nostrum omnem hujus & reliquorum peccatorum conscientiam deponente.

55. Alia ibidem per unius horæ spacium contra hominis impuro oestro rabidi blandicias, minis permixtas, ac demum stricto etiam pugione casto corpori admoto armatas, unico MARIÆ nomine ardenter identidem repetito, mortis potiùs quàm sceleris patiens, & vivum & castum corpus mentemq; servavit. Friburgi apud Helvetos alia in dumetum abjecta, contra lenonem, intactum conservavit lilium inter spinas.

56. Halæ præter alias ex illis dehonestamentis ereptas, una demum & ipsa castè sapere didicit, nostro fassa sibi Christum Servatorem saucium & cruentum, ac ferulâ

quam dextrâ in manu gerebat, identidem minitari visum, idq; bis per quietem, cor ab illa obscænitatum eluvie ad puras æternitatis castissimæ voluptates divinâ vi inclinasse, ac penitus transtulisse.

§. 8. *Desperati adjuti.*

57 Nec pauci, nec uno in loco, Augustæ octo, Straubingæ duodecim, ab obstinato mortis violentæ ultrò sibi ad finiendam, ut putabant, desperationem consciscendæ, consilio ac furore absterriti. Oeniponti fœminam calamitatum remedium in morte quærentem; dæmone nunc vulnera, nunc præcipitem in aquas sui dejectum svadente, una nostri concio; Halæ autem duos à suspendiosis consilijs lætior & sanior cohortatio, tranquillavit. Halæ item puella quæ frustratum nuptiarum desiderium in vitæ odium commutârat, putatur ab Angelo erepta exitio. Nam specie portitoris dorso stipendia facientis illi Oenum altero pede ad mortem jam ingressæ adfuit repentinò, & mori volentem, in littore, ac vita retinuit.

58. Friburgi Helvetorum unius qui ab octennio sicâ pectus haurire deliberabat, ferrum cum quietis vitæ consilijs commutatum. Landishuti S. P. Ignatij latex cum exomologesi adhibitus à perditis mortis voluntariæ meditamentis revocavit, qui-

dam

dam schedam cruentæ devotionis dæmoni factæ in lecto absconderat. Sed cunctantem dæmonem pactioni respondere, nostri consilia prævertère. Alia spiritum per quinquennium inferis mancipatum, per aquas in ignem æternum præcipitare parabat: sed sagax filius, per nostrum, dira Matris consilia intervertit.

§.9. *Contra superstitiones, & dæmones, latæ suppetiæ.*

59. Hic animi divinorum rudes, alij verò malitiâ ad inferorum religiones proni, fuerunt à schedis, verbis, & sexcentis alijs imposturis explicandi. Biburgi juvit conatus nostros id quod cum quadam superstitionis retinentiore evenit. Audivit illa, ac paruit superstitioso consilio quo dicebatur, clavem æditimi, veluti rem sacram, in os bestiæ ingerendam, si pecus morbidum salvum velis. Sed ubi in equini pulli os clavem ingessit, occidit, quem fatebatur aquâ Ignatianâ non semel feliciter se curâsse.

60. Oeniponti faber lignarius magicis artibus hernias feliciter curare solitus, artem suam damnare doctus, lachrymarum plenus mortem oppetijt. Straubingæ fæmina unà cum marito thesauris arcano dæmonum adminiculo quærendis inhians, enormis lucel-

celli periculum ac damna ubi à Nostro intellexit, animo per pœnitentiam consanato, apud maritum effecit, ut is vel nocte intempestâ unà cum conjuge id urgente, conſceleratum incantamentum sub domus limine defoſſum effoderet, ac igne abſumeret & domui hactenus varie perturbatæ pacem redderet.

61. Tridenti cuidam de pudicitiâ suâ sollicitæ, noster ceram, quem vulgo agnum DEI appellamus, porrexit, & illam ab horrendis incubi dæmonis lenocinijs vindicavit.

62. Oetingæ, ut objectos à dæmone alijs nequicquam cultros laqueos, aquarum vortices, taceamus, mulieri forti dæmon immundus bellum indixit, quo illam de pudicitiæ, vel de ſpei ac vitæ constantiâ deturbaret. Varia illi larvarum in vultu aliô aliôq; mendacia, & formæ fallendi blandæ ac formidabiles. Tandem & pecuniam, & gulæ lautitias, & alias illecebras contemnentem, nec minas formidantem, atq; ad nos itinere haud modico fugam intendentem, cùm frustra interpellaret, neq; à propoſito ad sua vota perpelleret, illâ deniq; novis divinorum myſteriorum ſubſidijs, communitâ, victus ceſſit.

§. 10.

§. 10. *Industriæ.*

63. Augustæ in sex familias constanter inductus usus, tam Litaniarum Lauretanarum ante cubitum unà dicendarum, quàm conscientiæ per omnes diei horas ab hesterno examine usq; ad præsens accuratione salutari explorandæ. Atq; hâc arte facilius ab alijs in alias domos manat exempli vis in re tanti momenti, quanta est rei tam sanctæ ac solidæ scriptis ac experimentis celebrata utilitas.

64. Lucernâ Zurzachum expedita missio. inter industriæ suæ instrumenta mirè profecit ad animos re novâ permovendos hebd. sanctiore Christus dramate lachrymabili cruentus in agone sangvineo: & Ioannes Gvalbertus inimico ignoscens in gratiam Crucifixi. Ibidem usus utriusq; examinis quod generale ac particulare vocamus, multis contra usum bibendi, fallendi, & particulatim singula vitia persequendi atq; vincendi palmare, atq; ipsâ novitate gratum instrumentum fuit.

65. In Missione Veldkirchensi ad imprimendam, renovandámq; patientis Christi memoriam, sextâ qualibet feriâ ære campano monetur populus, ut sit memor Christi hoc die, pro æterna vita mortalium, morte

ignominiæ ac dolorum plenissimâ, morientis. Et verò projecti Cives in genua gratias agunt, de suâ quoq; morte impensè solliciti.

66. Neoburgi clathros ferreos ad portas templi censuimus fabricandos: id quod eximiâ pietatis accessione perfectum: ut clausis quoq; portis, per apertos clathros totâ die ad augustissimam cœli Reginam consalutandam expeditus esset accessus. Atq; ne à clathris abeamus,

67. In Residentia Kaufburana valuit ad commiserationem erga pios manes in propensis aliàs mentibus acriùs concitandam, quod arte ad rem appositâ in piacularibus flammis detentæ animæ ferreis aræ in templo mediæ clathris, ceu carcere ferreo flammeóq; inclusæ oculis adspectantium sint objectæ.

68. Landishuti ad incitandam Sodalium pietatem insigne operæ pretium tulit catalogus benè longus bonorum operum varietate refertus, atq; in tabula palàm propositus: unde quivis genio suo idonea seligeret, aut fortassis novo quopiam etiam invento syllabum rerum istic propositarum augeret; cùm ferè inventis addere non admodùm difficile censeatur; & data Sapienti occasio Sapientiæ quoq; soleat esse accessio.

69.

69. Ad exemplorum quæ in longiore jejunio paſsim enarrantur in templo efficacitatem illud Burghuſij acceſsit induſtriæ, quod exempla omnia deſtinato velut ictum in unum quodpiam vitium, ut maledicentiam, vel aliud, torqueantur, tanquam ad ſcopum. Et patuit utili documento longè id feliciùs eveniſſe, quàm ſi vagè in obvia quæq; raperentur exempla. Sic enim illa veluti particulari examini ancillata, id quòd ſæpius urgent, ſemel tandem efficiunt.

§. II. *De Purgatorio.*

70. Communio generalis tanquam feſtum eſt animarum. Octavo ante illam die, Burghuſij, appoſitis ad rem argumentis ad illas adjuvandas concio invitatur. Pridie ſono æris campani ſolemnitati proluditur, & inſtituta de illarum inter tormenta lachrymis muſica ſymphonia: quo fit ut eò celebrior diei alterius ſit Synaxis. Conſtantiæ piaculo ducitur communionum illarum vel unicam neglexiſſe. quod etiam ſtudium pietatis ibidem à mortuæ cujuſdam manibus infeſtas ædes in tranquillitatem aſſeruit. Rottenburgi nulla cæli durioris diritas prohibet quominus è vicinis locis, aſperâ hieme, cum lucernis matutini adſint è pago quodam ad portas, ut Syna-

xi perceptâ, fideles animas à pœnis orando absolvant pro quibus etiam quot Sabbatis preces facturi vesperi ad templum confluunt perfrequentes. Et jam primæ in mense Dominicæ in missione Rottwilana nomen hæsit, ut vulgò nostra Dominica vocitetur.

71. Illud quoq; huc forsitam referendum, quod Eystadij domui cuidam umbra nescio quæ jam ipsos 50. & ampliùs, annos adeò fuerit importuna, ut non raro incolas ad migrandum coegerit. Nostri consilio, factum ut scripta adjurationis formula impeteretur. quo facto visa est ramentis ligneis humi in Crucis effigiem dispositis aliquid velle innuere. Effossa istic terra, reperta & eruta sunt ossa velut infantium: quibus aliò deportatis, & sacrificio in animarum levamentum sæpiùs celebrato domus omnis à longa illa tot annorum trepidatione quievit.

§. 12. *Hoc anno istic defuncti.*

72 In Januario, duo, Biburgi 16. die P. SIMON SCHARL, initæ Societatis in qua vota 4. Professus fuerat anno duodequadragesimo, vitæ autem 58. vir eo ingenio, ut Societatem, ejusq; labores, & famam exempli amaret impensè; detestaretur verò quicquid charitati officere videretur. Vnde in

genio

genio quantumvis præfervido fuit hilaritatis, & moderationis retinens, laborúmq; non parcus.

Monachij P. CHRISTOPHORVS SCHACHNER 27. die. æt. 67. Soc. 51. in qua per 26. annos Procurator fuit semper ad divina, & statis quidem horis, attentus: in dicendo gratus, caritate amabilis, obediendi studio reverens, industriâ impiger. Supremo vitæ anno dolores à DEO magnis precibus flagitavit, quibus vivus contracta in vita nomina expungeret. Et visus est voto potitus, dum toti pedes illi unum prope in ulcus intumuère, tumore non sicco. Poterat curatoris ope dolores quosdam interdum avertere, si à somno illum excitaret: at id ne faceret, seu patiendi voluntas, seu erga curatorem charitas fecit ne somnum interpellaret.

73. Februario unus 16. die Halæ P. CASPAR AREGG Rector 4. vot. Prof. æt. 60. Soc. 42. anno. Putatur vitam labore immodico præcipitasse. Qui, juxta gravis cujusdam viri externi elogium, pius, prudens, humilis, pudicus, sobrius, castus fuit & quietus. Constantis, ac etiam inter turbida eminentis ac sereni animi. Eystadienses nostri plures jam à Sveco ex Vrbe abrepti cùm essent, ipse se pro illis in captivitatem ærumnásq; obla-

to

to impetravit ut ſinerent hos abire, factus veluti lytrum pro omnibus. Seu regeretur, ſeu regeret, videbatur totus è modeſtiâ & ſubmiſſione conflatus; non verbo, non vultu acer, niſi de quopiam non optimè loquentibus fortè ſenſum animi, fronte oſtenderet. Ardens, & de genibus fuſa oratio: fidelis in pœnitentium tribunali conſtantia: obedientia caſto quodam pudore verecunda & prompta: in gubernanda per decennium Regij Parthenonis conſcientiâ dexteritas cœleſti quodam ſale condita. Mortis nuncio exhilaratus, pridiè, *O quàm bonus es Domine*, inquiebat, *reddis præmium ante meritum!* ſuprema nox talibus nobilitata ſuſpirijs ut lachrymas cierent præſentibus. Sed & à Parthenone pro mortuo & parentatum & adeò lachrymatum eſt, ut necdum ſit ſiccus ad auditum illius nomen dolor.

74. Friburgi Helvetiæ 15. Martij obijt extremum diem P. LVDOVICVS ARANVS vir ſe affligendi, orandi, atq; animarum ſeriò ſitiens. Examinabat, & cum Spiritus Præfecto introſpiciebat frequenter ac ſolerter quantum in accurato virtutum ſtudio profeciſſet, mirâ conſcientiæ accuratione tener, & ad labores dimidiâ ante alios horâ vigil. Bis operam & vitam lue affectis devovit, ſemel & ipſe contactus. verùm ubi ſur-

ſurrexit, idem ſibi pro peſte, ſi quæ fortè deinceps ingrueret, licere petivit. Pœnitentium ſuorum apud DEVM per voluntarias quoq; pœnas ſequeſter, mirâ erga P. Caniſium veneratione ferebatur.

75. Landſpergæ 10, Apr. P. OTHO WELLER, concionibus, miſſionibúsq; percelebris. Oculorum in officio religiosè tenendorum ita potens, ut fæminam nullam levi quoq; aſpectu volens dignaretur, eſsetq; acatholicis etiam admirationi. Domi poſtea talis fuit, ut Landſpergenſes eximio DEI beneficio ſibi dicant illum eſſe conceſſum. Svecicos furores ita ſuſtinuit, ut Domus noſtra ſuperſtes, & ſalva permanſerit. In extrema rerum undiq; penuriâ, incredibili charitate, ac celeritate aliquot florenorum millibus conquiſitis, & Noſtrorum quosdam à captivitatis ærumnis, & rem domeſticam ab hoſtili vexatione redemit. Ad Weimarienſis Ducis pedes in templo noſtro ſupplicabundus non priùs ſe erexit, quàm ut ne Domus, templum, Civitas, quæ ſparſam jam paſſim flammam conceperat, incendio delerentur. Fugam ſvadentibus, vitam ſibi potiùs extorquendam dixit, quàm ut commiſſam ſuæ fidei Domum tantâ in tempeſtate dcſereret. Captus, ærumnas decem menſium ita toleravit, ut ne

qui-

quidem indicare Nostris voluerit ubi esset, dum citra ullum nostrum impendium alienâ benignitate nobis est restitutus.

Augustæ eodem die P. JOANNES HORNBICHL, Sodalitati Civium per annos 20 tantâcum animarum utilitate præfuit, ut fuerit ingentis ad omnium exemplum industriæ; ac Sodales ita mortuo parentârint, ut sexagenos è suis delegerint qui pullâ veste communem dolorem omnium testarentur.

76. In Majo, duo. Monachij 4. Maij P. LEODEGARIVS HERTENSTEIN docendo Mathesin, Philosoph. Theologiam, JusCanonicum, & dicendo validus. Solidorum in via DEI axiomatum, ac exactæ ad nostri instituti amussim disciplinæ retinens. Vnde dici potest coluisse velut indigetem, seu domesticam sanctitatem. Bilis per omne corpus effusa totum denigravit, ac tanquam larvam fecit, torsitq; doloribus magnâ patientiæ laude à viro solido toleratis.

6. Maij. in Resid. Solodorana P. CHRISTOPHORVS BANWART, omnibus boni operarij laudibus cumulatus, & à lachrymabundis civibus abundè laudatus. Vltimo vitæ trimestri S.P. exercitia per decem dies obivit: ubi se ad proximam mortem composuit.

77. In Julio item duo. Lucernæ 10. Julij Jo-

JOANNES CRÖNLIN Coad. noluit voto productiorem vitam petere, divinæ providentiæ nutu contentus.

Oeniponti 25. ejusd. P. THOMAS ANREITER 4. vot. professus. Magno spiritu atq; prudentiâ per 9. annos Principi Eluacensi à conscientiâ fuit; magnâ patientiâ Sveciam captivitatem toleravit; docuit, ad populum dixit cum ingenio & solidâ pietate. In DEI Matris honorem ut ædes Lauretanæ similis excitaretur autor fuit, fructu pulcherrimo pietatis. Ad morientes euntibus dabat se socium, vir & in prosperâ & in adversâ valetudine verè mitis, modestus, ac modestiæ amans, mundiciarúmq; ac elegantiarum, quæ paupertatem haud parùm obscurant, constans religiosúsq; contemptor.

78. Octobri, ac Novembri, tres. 1. Octobris Landspergæ GVILLELMVS WINTER Novitius, nobilibus corporis ac animi dotibus, placidâ cereáq; ac planè ad leges nostras factâ temperie, in qua tamen ignea quædam animi vis ad ardua intermicabat. Sectionis in pede tormentum sinè querela, sinè gemitu sustinuit.

79. Friburgi Helvetorum 12. Nov. vitâ cessit P. LEONARDVS BILDSTEIN acri ingenio, nec minùs acri studiorum contentione in Philosophia Theologiâq; docenda versatus.

tus. Ad Immaculatæ Conceptionis tuendam veritatem ſe Sacramento voluntariò obligavit. Æger vix ullum diem à conſcientiæ expiatione voluit eſſe immunem. Per menſes aliquot vi morbi ſibi ereptus, non niſi ſub ipſum vitæ exitum ſibi eſt reſtitutus.

80 Vltimo deniq; Decembris die, annum & mortalitatem clauſit Monachij P. NICASIVS WIDMAN Rector Collegij, Romam bis deſtinatus elector, & Collegiorum ac Provinciæ gubernatæ Præfectura laudatè perfunctus. Inſtitutum Societatis mirè percalluit, per XV. totos annos ijs quæ ad eam rem faciunt intentiùs legendis penetrandisq; ac digerendis intentus. Nihil admiſit quod neciſsitatis legem excedere videretur. quare ne quid ſupereſſet, maluit ſibi deeſſe non pauca. Breviarium paupertate attritum & malè concinnatum: longa in prolixis itineribus, patiensq; inedia, & ſitis incredibilis patientia, ſeu illam neceſſitas ſive morbus accenderet. ſolebatq; illam domare potiſsimùm petitis è libello exercitiorum, ac DEI amore victoriæ argumentis. Sericum pileum aromaticum à medico procuratum pro capite in morbo ſupremo rejecit, acriter conteſtatus malle ſe caput perdere quàm illud paupertati juratum tam pretioſo remedio inquinare.

ANNVÆ PROVINCIÆ NOVI REGNI GRANATENSIS ab Anno M. DC. XLII. ad Annum M,DC. LII. incluſivè.

HAbet hæc Provincia ſibi adnexam ViceProvinciam Quitenſem: & continet leucas 1262. Noſtros vero 283. De hac nunc pauca, poſtea de Quitenſi.

§ 1. *Chriſtianorum fervor: Sacramentorum uſus.*

1. Vt ſe verè diſceſsiſſe ab avitis erroribus oſtenderent Chriſtiani, magno exemplo aliorum, ac noſtro ſolatio, ipſi ea, quibus hactenus adorandis ſe deluſos vident, idola nunc profligata ad noſtros trahunt, quaſi victa mancipia. Duas columnas antiquitate ac ſuperſtitione & mole inſignes, veluti veſtigia ſeu rudera temporum antiquorum, citra noſtram expectationem demoliri aggreſsi ſunt Indi, ubi illas fore opportunas intellexère pro Cruce alta præ templi foribus erigendà. Lapides ab ipſis ad locum erigendæ Crucis inſigni alacritate deportati: & jam viſendæ molis ac majeſtatis Crux iſtic poſita, omnem ſuperſtitionis ve-

tuſtatem venerabili Chriſtianæ ſanctitatis religione abſorbet.

2. Ad Euchariſticam 40. horarum pompam, incredibilis eſt vis mortalium, quæ accurrit. Statim atq; palàm ſpectandum proponitur SS. Sacramentum, incipit muſicorum chorus Chriſto præſenti accinere: neq; ullâ interſpirandi datâ intercapedine (niſi fortaſſe tempore concionum) alij alijs muſici, alijs alia inſtrumenta ſuccedunt per horas 40. magnâ vocum ac organorum & ſymphoniæ varietate atq; præſtantiâ, tenero ſolatio populi affluentis, ſeq; ad ſacra tribunalia, & panem cœli ſiſtentis.

3. In Reſidentia Fontibonenſi Congregationum, ac muſicæ ſingularis celebritate laudatâ, illud memoratu, & gratulatione dignum eſt, quòd cùm Societas eum in locum pedem inferret, nemo fuerit, qui Sanctiſsimo Euchariſtiæ myſterio reficeretur, nunc per plures annos nemo ſit repertus, qui eodem refectus non ſit.

4. E Collegio Carthagenæ Noſter quiſpiam ad ægrum accitus, ad Collegij portam neminem reperit, à quo ad ægrum duceretur, ſocio quoq; quis æger ille eſſet ignaro, & eo qui vocaverat jam abſente. Verùm certâ divinæ providentiæ manu ductus Pater forte ad domum appulit, in quâ ægrum

repe-

reperit 14. annos in lecto & totidem sacrilegia numerantem: utpote qui sæpè supremis vicinus, quotannis semel ore sacrilego Synaxim acceperit. Nunc demum hunc Patrem sibi à DEO destinatum admiratus ex insperato advenisse, se se ad beatam æternitatem per Sacramenta, magnoperè tot annis impijs ingemiscens, accinxit, & vitâ solutus est. Alio in loco alius quoq;, postea quàm in extremo vitæ positus diu desperanter cum nostro divinæ misericordiæ thesauros exaggerante certavit, cessit tandem: & omnibus ritè peractis jam de DEO benè sentientem ac sperantem, & demum morientem, misericordia, uti speramus, circumdedit: uti & illum, qui jam animum adeò feroci silentio obstinârat, ut mori quoq; inexpiatus maluerit. Nam & hic, ubi in hausto veneno se mortem citam frustrà quæsivisse comperit, vocato Patri nostro se dedit postea in ultimo illo mortalitatis vestibulo pro arbitrio gubernandum, Sacramentis munitus ad mortem, ac plurimæ spei plenus.

5. Pampelonense Collegium, inter fæcundas auri glebas, quod istic ex aureis venis eruitur ad Hispani Regis obsequia, habet suos thesauros pro cœlo. Nam ut de ordinarijs non dicam, habet illa Resp. homi-

nes adeò divinis intentos,ut non desint,qui intra unius hebdomadis intervallum Evcharisticæ Synaxi bis terve accumbant,síntq; illustri adeò ad virtutem exemplo, ut huic illorum pietati reliqua etiam vita velut uno tenore respondeat.

6. Pampelonæ item Noster ad Indum in extremis laborantem evocatus,illum confessione ac viatico munivit ad mortem. Sed ille statim à percepta Synaxi mentis factus impos,mira & horrenda furenter egit per dies octo vel novem,non mediocri eorum, qui aderant, admiratione ac stupore. Venit demum nonnullis in mentem de baptismo illius dubitare. Pro comperto enim habebatur, eum in loco deserto inter homines divinorum ignaros natum. Quocirca cùm cadaver illud nec mori,nec vivere, nec horrendùm furere desineret, & dubitatio probabilitate suâ non careret, adjectâ conditione, baptismo iterùm lustratus est,& horrore posito intra duarum horarum spacium compressâ omni ferociâ morte placidâ conquievit:& Mater,centum annos nata, cùm appulisset,jam antè accita,dixit: illum à rudi, & mentis haud satis compote quopiam fuisse lustratum.

§.2. *Beatissima Virgo Mater,& Sodales.*

7. In Residentia Fontibonensi Caciquij, nobi-

nobilis viri, pia erga Deiparam filia mortem jam opperiebatur, Sacramentis omnibus à Patre noſtro, qui illi aderat, procurata. Et jam in eo ſtatu erat, ut nec ſenſibus uteretur, & pectore morientium inſtar ſurrecto anhela luctaretur, aut velut ſine ſpiritu quieſceret, neq; juvari poſſet. Quocirca digreſſus Pater, matutinus adfuit, & puellam ex ægrâ ſanam, atq; ab agone, colore viribúsq; integrè reſtitutam invenit. Omnibus gaudio, & ſtupore defixis, narravit illa: ſe verè tunc migrâſſe, quando ita jacebat deſerta à ſenſibus ſinè motu: neq; paroxyſmum illum fuiſſe, ſed mortem. Eo tempore ſe ad, non ferendas quidem, ſed videndas purgatorij pœnas, & explorandam aliorum exemplo illarum acerbitatem deductam, vidiſſe horrenda: quibus viſis totam ſe tremore concuſſam ad ſvaviſſimum dulciſſimæ Dei Matris præſidium voce ſupplici confugiſſe. Adfuiſſe glorioſam illam Dominam, & clienti ſuæ cæleſtibus lætitijs recreatæ, ut ad corpus rediret, impetrâſſe: ut quæ hactenus divinæ Matri religiosè ancillata, piè ſerviſſet, hoc aucta beneficio eidem deinceps ita ſe dederet, ut ejus cultu majora incrementa capere accuraret.

8. Sodalitates majore in flore ſunt iſtic & fructu, quàm de illis terris facilè ſperari poſ-

sit. Vnicum S.Fidei Collegium habet quinas. Duo, eáq; magnifica templa occupant sacræ operæ hujus Collegij: alterum S P.Ignatij pro Hispanis; alterum pro Indis, aliísq;, S.MARIÆ Majoris. Est in hoc templo una, eáq; nova, & reliquis altior, ideóq; universalissima atq; transcendens appellata, B.V à Succursu nomen sortita Sodalitas. Sacerdotes illi adscripti quotannis duo sacrificia DEO offerunt; qui verò Sacerdotes non sunt, ab alijs offerri curant singuli totidem: alterum pro vivis, alterum pro vitâ functis è Sodalitate illa. Tanto plausu res hæc accepta est, adeóq; fervent omnia Sodalitatis hujus exercitia, ut vix reperias ullum, qui auditione aliquid de illa acceperit, & illi nomen & cor non dederit. Expetunt etiam longissimis terrarum ac marium spacijs dissiti Albo B.V. de Succursu inscribi. Neq; transnumeraverit, imò infra numerum dixerit, qui viginti sacrificiorum millia quotannis pro superstitibus, ac vitâ defunctis in hac Provincia offerri dixerit, ut è catalogis luculenter compertum est, ut plurima, quæ in alijs Provincijs eundem in finem fiunt, sacra hoc à numero sejungamus.

§. 3 *Puritatis custodia.*

9. Missio Truxillensis etiam hunc arden-

tis

tis ad concionem dictionis triumphum tulit Anno 1649. quòd Inda puella cùm Christi legem immaculatam, adeóq; sinè ullo gravioris noxæ dehonestamento tuendam esse audisset, ac mortalis labis fæditatem altiùs didicisset, lascivo cujusdam invitatui adeò non cessit, ut nullis precum illecebris, nullis minarum procellis compelli ad flagitium potuerit: malueritq; conscelerato furori cadere virgo victima, quàm virginitati suæ inquinatè superstes esse: mira, & Europæarum etiam imitationem commerita fortitudo!

10. In Civitate S. Fidei Indæ fœminæ Christianæ unica è duabus filia supererat, alterâ teneris adhuc annis furto sublatâ. Quia verò ejus, quam habebat, pudori magnoperè timebat prudens Mater, facilè, nostri Patris hortatu, consensit, ut ad religiosas Virgines abiret ancilla, cùm foris haud satis tuta sit contra munera, vel vim pudicitia, nec à formæ liberalitate, nec à fortunæ egestate secura. Verùm filiâ cænobio jam transcriptâ orba Mater nimiopere affligi, ac demum etiam de illâ ultimo suo solatio recipiendâ deliberare, adeóq; ad cœnobium iter cœpit intendere. Sed eunti obvius ignotus quispiam, illâ num teneræ suæ filiæ furto quondam abreptæ non meminisset, interrogat; &

dolore lachrymanti puellàm coràm often-dit: quam illa tandem agnitam recepit: a-gnovitq; hanc fibi à DEO in illo articulo reftitutam, ut & Matris orbitatem hac filiâ è periculis non optimæ educationis erutâ folaretur,& alterius pudicitiæ, famæ, faluti confuleret.

§.4. *Imprecantis parentis exemplum.*

11. Etiam contra diras cùm omnium,tum parentum imprecationes acriter fulminatum à Noftris. Valuit ea res,& fuo tempore fe prodidit in Matre Chriftianæ pietatis retinentiore. Nam cùm parens filio,quod domo abfuiffet,diras mille imprecatus, illud fæpè ingeminaret: Faxit DEVS,ut nuncium de te accipiam, te in flumine quopiam effe fubmerfum; Mater per piam antithefin, oratione ad DEVM converfâ: Non fic fiat,Domine,non fic! Pereant potiùs illius veftes; falvâ vitâ & animâ. Matrem potiùs quàm Patrem audivit ad benigniora pronior DEUS. Nam puer cafu nefcio quo abreptus à flumine, ac periclitatus, veftibúsq; ab aquâ abreptis nudus, vivus tamen, ac falvus relictus eft,& fuis reftitutus: periturus fortaffe, nifi Patris ferociam materna pietas, & oratio in divinis auribus mitigâffet.

§.5.

§. 5. *Noster à duobus periculis ereptus.*

12. Benignam divinæ providentiæ mirabilitatem semel, ac iterùm expertus Noster in Collegio Monpoxensi lætabili erga Deum fiduciâ nos erexit, videntes, quanta Deo sit cura de nobis. Ascenderat is, qui Collegio præerat, in montem arduum Pater, ut istic de quibusdam fabricæ idoneis provideret. Verùm ibi errantem, neq; se ab errore explicare valentem oppressit nox; cúmq; ne altero quidem, ac tertio, & quarto die iter quà rediret, reperiret, quinto demum die ipse ab ijs, à quibus quærebatur, inventus est, veste inter illa spineta lacerrimâ, & longâ fame, vigiliâ, & perpetuâ mortis expectatione enectus. Domum reportatum, periculóq; illo in terra defunctum, & gratias quòd inventus esset agentem aliud periculú, alia divinæ providentiæ benignitas in aqua excepit. Cùm enim navi veheretur contra flumen, navicularijs in rem suam intentis, nec advertentibus, Pater è navi elapsus, & mersus est. Jam plùs quàm semihorâ, posteaquam ille exciderat, iter sursum navigium urgendo intenderant, cùm Patrem non adesse advertêre; quocirca deliberatum est, ut iter relegerent. Repertus aquis innatans Patris pileus; at ipse nusquã. Et hoc ipsum divino instinctu factum, ut

eodem

eodem in loco,in quo exciderat, urinatorum unus in aquam descenderet, fortè comesti jam à piscibus Patris aliquas exuvias reperturus. Vbi se profundè mersit,Patrem in fundo sedentem ac vivum reperit, & salvum atq; incolumem extraxit.

§.6. *Quorundam à Societate defectio, & mors.*

13. Primum ab instituti æstimatione, adeóq; à Societate JESV eduxit exitialis cum inquieto quodam capite necessitudo. Ergo Societate ac Theologiâ,cui operam dabat,desertâ,lauto quidem,sed ignobili matrimonio junctus, gemino naufragio haud multò post fortunis omnibus exutus, vix ipse salvus evasit. His defunctum periculis excepit Hollandica duorum annorum captivitas: è quâ liber, à præcipiti flumine abreptus,mulâ istic submersâ,singulari DEI protectione vitam retinuit. Necdum infortunij satis: Nam hoc in mœrore jacentem & pænè tabescentem, omniáq; timentem lis excepit,in qua tametsi jus ac æquum à se habere videretur: tamen causâ cecidit, eversus iterum, fortunâ miserabili & semper adversâ. Insuper in arctam, & profundam reorum custodiam datus, quatuor istic menses in squalore ferro totus, catenisq; miserandum in modum inter ultimam

mam fæcem onustus, ærumnosæ fortunæ spectaculum factus, ac demum liber, at necdum sui securus, ad nostram domum, unde eleemosynâ alebatur, confugit, ut nuperas ærumnas minantium iræ se se subtraheret. Hinc deniq; domum clàm abijt: ubi minora se promeritis passum, eo quod à Societate per tantam inconsiderantiam, & ineptæ amicitiæ occasionem defecisset, dolenter agnovit, semel à lite perditâ, bis à fœdo carcere, ter ab aquis extrema passus, tædio, ærumnis, divinæ humanæq; iræ metu exaggeratâ animi afflictione in mortem contabuit.

14. Bernardus dela Palla in Meridensi tirocinio, cùm in alijs non malam de se expectationem concitaret, tamen ne aliorum quidem Novitiorum, ad quos alio missus fuerat, exemplo adduci potuit, ut duriorem, quàm nostræ obedientiæ rationes ac apices exigant, cervicem vel frangeret, vel molliret. Quare mole difficillimi capitis prægravante præceps abijt in locum suum, cùm in Societate capitones locum & officium idoneum videret reperire non posse. Verùm Pampelonam ingressus publico ludibrio puerorum explosus est, qui miserum undequaq; importunâ quidvis dicendi dicacitate sequebantur, & velut portentum quodpiam, aut mente motum hominem acerbè inse-

insectati docebant erubescere. Neq; longo post dierum interjectu ad Meridenses partes transijt : ubi mersúsne flumine, an occisus inter suspiciones incertum, in littore fluvij ad villam S. Christophori mortuus est repertus.

15. Alium item Novitium ibidem, ut eadem causa, ita eadem pæne pœna excepit; utpote qui mortuus & semiesus ab avibus carnivoris sit repertus in eorum numero, de quibus Deut: 32. v. 24 dicitur : Devorabunt eos aves morsu amarissimo.

16 Juvenis adamatum Societatem ingrediendi instinctum voto etiam affirmârat, verùm à svasore nescio quo jam iter ad Novitiatum ingressus ad aliud institutum divertitur. Ita se suffringi passus, nescio cujus causæ aut moræ obtentu, dum bonorum cujuspiam præfecturâ fungitur, & semper consilia ponit cum anima sua, & dolorem in corde suo per diem, animi semper anxius, ne tum quidem potest conscientiæ stimulum, contra quem calcitrabat, abscondere, cùm alijs occupatur negotijs. Et demum ita fluctuantem occupavit inexpectata mors. Nam cum quatuor aut quinq; Hispanis colloquenti, tetra illa conscientiæ morositas obnuntiabat. quocirca in has, quasi conscientiæ voce locutus, voces, extra

omnem

omnem ejus consortionis materiam, erupit, ac hæc verba identidem repetivit: *In Societate non permittitur, ut Societatis religiosi sint negotiales, aut negotiatores.* Atq; hæc sæpiùs ingeminantem, & concidentem absq; ullo, quod æternitati vicinæ hominem pararet, verbo, spiritus, & vita deseruit, qui prior DEI vocem præ hominis voce deseruerat.

§.7. *His annis istic vitâ functi.*

17. In Missione Gvayanensi, ubi labori quantumvis ærumnoso messis pænè nulla respondet, P. ANDREAS IGNATIVS, ejus Missionis Præses, vir obedientiæ ac zeli heroici, & 4. vota Professus, in gloriosâ illâ, & rerum omnium penuriæ plenâ statione occubuit.

18. In Insula S. Dominici, cùm pestis magnâ clade grassata omnia cadaveribus ac timore impleret, duo pretiosi istic, ac plausu magno à summis & imis accepti Patres sese in medium conjecère, totâ virium contentione nihil omittentes, quod poterant in gratiam lue illâ tactorum. Ita satagentem P. ANDREAM de SOLIS, ac deinde etiam P. DAMIANVM de BVYTRAGO lues mórsq; confecit, magno quidem Ecclesiastici ac secularis ordinis mærore ac luctu, sed majore longe jacturâ. Vterq; insigni gloriæ fuit

it iſtic Societati, ob zelum laborum exantlandorum avidum, & capacem. In P. Damiano etiam ſingularis erga DEI param, atq; in Sacrificio Miſſæ ad crebras & uberes usq; lachrymas, religio luculenter eluxit.

ANNVÆ PROVINCIÆ POLONIÆ. M. DC. LII.

COmplectitur Polona Provincia hoc anno 1652. in domicilijs XXVII. Socios 663. in quem numerum hoc anno venere tirones 10. Scholaſtici, Coadjutores quatuor; plures verò huic numero mors exemit.

§. 1. *Fidem Catholicam complexi.*

1. Ab hæreticorum errore ad lucem Catholicam venêre, præter aliquot alios varijs in locis veritati aſſertos, CVI. Schiſmatici XXVII. cuidam enorme prolis è ſcelere natæ ac internectæ facinus, ab infami profligatæ pudicitiæ quinquennio, & à Schiſmaticorum vecordia, viam ad fidem, animiq; perſanctè expiati pudicam quietem aperuit. MARIÆ Burgi è duobus & quadraginta converſis unus reſipere didicit, ut opinio eſt, à ſanctiſſimo Sacramento; cujus honori, etiam tum hæreticus, per templa, & pla-

teas, festas frondes ac purum gramen spargebat quotannis Eucharistico illo solennis pompæ die, idq; usq; ad annos ætate devexos, quicquid fremerent, obturbarent, minásq; jactarent hæretici acerbè ferentes, ab homine non Catholico pompæ illi Eucharisticæ quotannis id obsequij exhiberi.

§. 2. *De Beatissima Virgine, S. Iosepho, & B. Stanislao.*

2. Joannes Casimirus Poloniæ Rex, ut veterrimæ suæ erga DEI Matrem ac Societatem voluntatis documentum in una complexione ostenderet, die, qui B. Stanislaj Kostkæ memoriâ percelebris est, Brestensi Collegio Romæ pictam S. MARIÆ Majoris imaginem donavit, quæ magnâ populi undiq; affluentis pietate, solenni pompæ celebris apparatu in templum nostrum est introducta; futura nobis pignus Regium, & invitamentum publicæ pietatis. Virum nobilem cum furibunda suorum manu ad cædem cujusdam præràpidè festinantem, ut Noster à sangvinario consilio posset avertere, repentino instinctu ad S. Josephi opem supplex confugit: & vir ille nobilis in ipso decretoriæ ad cædem domûs limine funestam rabiem sibi concidisse, animo repentè mansvefacto admiratus atq; lætatus, infe-

ctâ

ctâ truculentâ illâ destinatione incruentus reversus est, ijs quoq;,qui paratè advolârant imperata patraturi,rem ab illo narratam impensè stupentibus.

4. In suburbana Collegij Jaroslaviensis domo celebris beneficentiæ nomine augustè colitur Virgineum Simulachrum. Fæmina lethali vulnere miserabilem in modum saucia vitam ducebat,inter mortis dolores,ac desiderium, peracerbam. Hæc à nostræ Virgini simillimâ imagine visitari sibi visa est & ita commoneri: Ecquid peregrinandi votum differret? Mortem propè jam abesse: quare ageret,concepto peregrinationis voto vitam fugientem, patrocinij sui secura, redimeret. Nihil quidem illa moræ interposuit ad vovendum,& confestim consanuit. at verà vota reddere cunctantem repentina prolatationis pœna,morbus iterùm profligavit; & visa iterùm conspecti alias Virginei simulachri species ita simul terruit,simul solata est decumbentem,ut diceret: hanc demum spreti beneficij esse mercedem. quare si à conquassatione hac iterùm prostratæ valetudinis consanescere cuperet,ad ea,quæ neglexisset, esset intentior. His illa timore simul ac spe novâ perplexa, redintegrato voto, veniam simul & sanitatem obtinuit,statim voti expleti religione perfuncta.

5. Posnaniæ, ubi à S.P. Ignatio vitæ discrimini exempta est pariens fæmina, B. quoq; Stanislaus ex integro restituit fractum crus puero duodenni.

6. Crosnæ sacrum SS. Trinitatis honori factum à nostris B. Stanislao implorato, & pestis quæ famulum nostrorum ægris ministrantium jam ad suprema deduxerat, extincta est. Ibidem civis eodem beneficio se donatum ait, postea quam per quietem præsentis sibi B. Stanislai, sacrificali velut veste amicti, benedictione se munitum vidit ac sensit. Plura id genus loquuntur anathematum tabulæ, quas varij per Stanislaum à peste superstites affixère.

7. Ibidem adolescenti Sodali à lapsu præcipiti septem jam dies lingvæ usu destituto, Sodales ad B. Stanislai opem piâ unanimitate conversi sospitatem obtinuère. Fæmina item in ergastulum detrusa, ejusdem Beati auxilio exorato se à catenis, quibus tenebatur, absolutam sensit, & oblatam divinitùs libertatem ac fugam beneficij non immemor capessivit.

§ 3. *Sacramentorum utilitates.*

8. Crosnæ adolescens in sacrosancto tribunali, cùm sibi acerbiùs perstrictus videretur à Nostro, iracundè nimis ac valdè intemperanter exarsit, & coram Christo sub Ev-

charisticis integumentis abscondito juratus affirmavit, se nunquam deinceps ullius de Societate operâ usurum ad conscientiam expiandam. Eodem ipso die cùm Sabbati dies esset, quem ille voti religione obstrictus pio hactenus jejunio celebrabat, vetitis cibis, & intemperantiore potu gulæ fræna laxavit: affirmavitq;, hac se deinceps, quà hodiè incepisset, iturum; licentiùs jam sibi vivendum; & animam sub jugum corporis pro libidine subjiciendam; quippe desperanter jactabat, à DEO se, ac DEI Matre Virgine jam desertum. Hæc agentem atq; dicentem conduplicatis tenebris oppressit severa diei vindex nox. Etenim repentè boatu miserabili replere omnia, & clamare misericordiam, se enim ardere, jam cruciabiles inferni flammas, immensámq; ignis abyssum experiri. Accurrentibus pavidè domesticis, Patrem de Societate, Patrem acciri quàm ocyssimè obtestatur, atq; illum ipsum, quem pati monentem præfractè noluerat. Expeditus confestim, qui Patrem accerseret. Advolavit ille promptus, & dolenter confitentem audivit. Adjecit æger propalàm revocationem suæ illius inconsultæ ac voto insano firmatæ voluntatis. cúmq; animi anxius acerbissimè trepidaret, à Patre spei dulcioris levamentum undequaq;

quaq; accersente in spem erectus, postero die à tragico suo æstu convaluit.

9. Incredibile est, quantum faciat ad fructum solidum animarum non è fusili argumento quæsita, sed solido pœnitentiæ succo imbuta concio, & privata colloquia. His artibus maturus jam juvenis, & mulier viro jam nupta nunquam hactenus expertum Pœnitentiæ Sacramentum obière. Alia post annorum XXXIV. pudicitiam & conscientiam veterrimis libidinibus, & sacrilegijs desperatam, uno exemplo tragico pro concione Nostri cujusdam audito, animi ægritudine propè concidit, & vitam omnem non minore fidelitate correxit, quàm diligentiâ expiavit, magnâ sereni animi lætitiâ recreata.

10. Fæmina à patratâ in filiam cæde, meditatámq; marito ac demum sibi consciscendæ mortis opportunitatem, scelere amens diras umbras ultrices, effuso horrendo crine ac vultu truces, tam diu spectavit, dum ad Nostrum accurrens artibus ab illo suggestis umbras omnes fugavit. Aliam XXV. annorum turpitudinibus inquinatam ater ac molis formidandæ molossus, latratu ac erumpentibus è rictu scintillis flammísq; conterruit: sed pronunciatis ab illa sanctissimis Jesv & Mariæ nominibus ille in

fugam, hæc ad nos se contulit, ubi remedium & quietem invenit.

11. Alia quoq; à tragicis infernalium spirituum vicissitudinibus consilio salubri erepta. Nobilis matrona hæc erat, quæ dum ancillæ, præstigiarum accusatæ, scelus deprehensura vigil in ejus cubiculo noctu lateret, videretq; magico ceromate unctam, se se volatu ex oculis domóq; procul eripere, fæmineâ idem experiendi cupiditate ducta se quoq; ipsa perunxit, & repentinò ad sagarum cœtum delata, istic sagas cum dæmonibus lautè ac obscœnè commessantes ac ludentes in stuporem dedit, ipsa quóq; rei admirabilitate attonita, nuncium DEO remisit ut viveret, aliàs ab impio concilio peritura. Domi deinde ancillare scelus & libenter audiebat, avidè singula condiscere curiosa & se in conscelератarum conciliabulum dabat, conciliatriculâ illâ ancillâ, & dæmone. qui tamen duo quædam illi persvadere, ne promisso quidem diademate, poterant, alterum ut DEI Matrem jurata desereret; alterum ut eleganti in concinni juvenis formam dæmoni se temerandam permitteret. Aures mille promissis, & spurcè versutâ blandiloquentiâ; oculos trium quatuórve selectissimæ formæ adolescentum (dæmonum nempe) pulchritudi-

tudine, corpus omne fædis caloribus laceſſebat, idq; non ſemel, & noctu, & usq; ad vim tentatam, ac veſtes intimas impudicè diſcerptas. Hìc verò inter omnia hæc pudicitiæ pericula victor animus, corpúsq; à ſorde innoxium; quo demum loco res eſſent, advertit. Indoluit enimverò matrona, ſe in immundi illius conſortionem, Deo deſerto, tranſijſſe. Quare conſilium petijt, & accepit; & fidei Sacramentum conceptis verbis dixit, Sacramentis, & omnibus bonis perſanctè vivendi DEóq; cônſtanter adhærendi artibus, communita; uno ancillari ſcelere in perniciem tracta, & niſi periclitanti divinus radius illuxiſſet, altiùs pertrahenda in conturbernium immundorum; documentum facta ijs, quæ à malis domi ancillis periculum & exitium trahunt.

12. Iſtud quoq; horrendum, & rarum iræ fæmineæ documentum, huc refero. Præmisliæ ancilla à Patre familias percuſſa, innocentiæ ſuæ fiduciâ in rabiem tantam excanduit, ut ſe confeſtim in templum impetu injecerit, & coram Chriſto inter ſacrificandum fortè tunc elevato, flagitaverit, crudelem ſuum percuſſorem à dæmone poſſideri. quod ubi factum advertit, inſultabat enimverò procax afflicto, dum à Noſtris modeſtiæ admonita, ſe ſe compoſuit.

13. Vnius è Noſtris (locum taceo) ad ægram evocati celeritas opportunæ ſaluti fuit illi, ad quam ſe contulit. Huic longæ libidines in diras furiàsq; converſæ illam in morbo miſerabiliter laniabant. Vnde illa inteſtini illius vermis impatiens, atq; ad eum extingvendum Patris de Societate opem expoſcens, ita jam in exulceratum animum induxerat, ut ſe dæmoni tartaróq; voluntarium ſpolium addiceret, niſi Pater quem flagrantiſſimè petebat, confeſtim adeſſet. Adfuit ille nihil moratus, & dolori illi ac trepidationi in furorem ferè conversæ ſalubre attulit levamentum.

§. 4. *Hoc anno iſtic vitâ defuncti.*

14. Cracoviæ in glorioſo charitatis agone vitam hanc poſuère P. JACOBVS SARBINIVS, P. JOANNES KONRAD & P. JOANNES STARCZEVSKI, viri religiosâ verè virtute præſtantes tam domi, quam foris poſtea dum in publica Vrbis calamitate ſe ſtrenuè omnium ſaluti impenderent. Domi PATRES JOANNES SMETNIVS, & VALENTINVS SIERAKOVICZ, obière comi uterq; ingenio & prompto ad commoda proximorum. Peſte ibidem abſumptus P. ANDREAS ZBOROWSKI quàm olim fortunis tam nunc ſui demiſſione nobilis, & excelſus: inſigni verò erga Societatem liberalitate inter

ter prima nomina collocandus. Ibidem è quarto Theologiæ anno P. JACOBVS ZABLONSKI morte abreptus, juvenis præclari & mirè modesti atq; ad tacendum potiùs quàm ad loquendum prompti ingenij eoq; magis longè spectabilis. E Theologico item cursu ad immortalitatem abiêre NICOLAVS ZIELENIEVICZ, & FRANCISCVS ZIELENICZ, par juvenum ab ingenij ac voluntatis bonæ dotibus ad spes insignes at breves nobis concessorum.

15. Crosnæ tres operarij strenui peste icti cecidêre, P. ALBERTVS SVLOSOVIENSIS, P. MATTHIAS JAKVBOVICZ, P. GREGORIVS KLECZEVIENSIS, omnes virtute insigni: Gedani P. MARTINVS PIASTVS 4. vota Professus, & ignotis medicæ arti morbis afflictus, cùm se ad persolvendum horarum canonicarum pensum componeret, decretoriam horam facili morte absolvit.

16. Lublinenses trium Patrum in missione atroci peste sublatorum meminère, P. DANIELIS ZALESKI, P. JOANNIS MERONICZ, & P. MARTINI CRAMPSKI; domi verò eâdem lue ademptos ferunt Professos tres, P. THOMAM KRYSTKIEVICZ, P. NICOLAVM ZMVDSKI, & P. VLADISLAVM NARAMVSKI; tum P. MARTINVM TVOROVICZ

catarrho,& P. MARTINVM WROBLEVICZ foris peſte enectum. Omnes hi Societatem exempli egregij odore ubiq; amabilem reddidère, digni diutiùs prodeſſe quàm plurimis. At ultimi fuit ſparta felicior, utpote quem in voluntario peſte contactorum obſequio clara mors immortalitati aſſeruit, virum qui tali morti vitæ quoq; claritudine inſigni anticipatione quâdam reſponderit.

17. Luceorienſes duorum nomina recitant quos Coſacorum ac Tartarorum procella cruentâ morte involvit in caſtris, quorum utilitates in divinis egregio ſtudio procurabant; ij fuère P. PAVLVS SKOLMOVSKI prompti animi vir; & P. ALBERTVS MOGILINSKI 4. vota Profeſſus pollens dote, animos magnatum & militum dextrè ſcitèq; ad cæleſtia perducendi, nuper Patris ſpiritualis & ſtudiorum Præfecti functus officio. Hic aliquando in Scythiam abductus pro mancipio, magno iſtic emolumento fuit Polonis illâ clade afflictis.

18. In miſsione Turovienſi P. THOMAS SKARZENSKI utiliſsimis inter Schiſmaticos laboribus immortuus eſt, vir ſtrenuè ad propriam & aliorum ſalutem animatus ac promptus.

Sendomiriæ febris extinxit P. STANISLAVM PHOE-

PHOENICIVM 4. vota Professum animi non candori magis, quàm submißioni, ac præclaro in DEI Matris gloriam tuendam studio accuratè intentum.
Ibidem pestis infesta spiritum eripuit P. JOANNI KADLVBOVSKI viro plurimæ orationis, & nullius planè offendiculi, olim in castris magnâ industriæ ac ferreæ patientiæ laudè versato.
Eadem lethalis fuit P. STANISLAO GROCHONSKI emendatißimæ, inter aulicos quoq; tumultus & fucos, modestiæ viro.
Item P. CHRISTOPHORO BAKNICKI, missionum, obedientiæ, ac expetitæ inter peste afflatos provinciæ mortisq; oppetendæ laude illustri.

19. Torunij pestis morti dedit P. STEPHANVM MOGILNICKI innocentiâ & morum mansvetudine tam eximium, ut nemo mitem illam frontem ullo iræ signo perstrictam unquam adverterit. Eadem lues dum eo malo afflatorum calamitatibus operam suam dare impiger aggrederetur, præclarè cœptis intercesit in P. JOANNE KOLOSVARSKI, viro cordato, & per suæ vitæ periculum in aliorum salutem paratè semper accincto.

20. Sunt & è Coadjutorum albo non pauci, quos hoc anno lues, aliúsve morbus

è

è vita exemit. Eorum laus in labore aſsiduo, in obedientia, & ſe profundiſsimè ad omnia obſequia demittendi, cupidèq; orandi ſtudio conſiſtit. At nominatim unus eſt non tacendus PAVLVS KAMBORSKI quem ætas laboreſq; adeò attrivere, ut propè confregerint. Hic poſteaquam Patribus calamitati publicæ ſe ſe in lue communi objectantibus ſocius adfuiſſet, redijsſetq; ſemper à diſcrimine illo incolumis, hoc demum anno ſæpè quæſitam in morte tam nobili gloriam illi jam maturus invenit.

ANNVÆ VICE-PROVINCIÆ QVITENSIS INDIÆ Occidentalis. ab Anno 1642 ad 1652. incluſ:

OCtoginta novem Socios habet in 4. Collegijs, duabus miſsionibus, & quatuor, ut vocant, hoſpitijs, hæc Vice-Provincia, Sodalitijs etiam; aliisq;, quibus Europæa Societas uti ſolet, domi foriſq; ad animarum ſalutem inſtructa.

§. I. *Sacramenta.*

1. In America, Provinciæ Mocoæ miſsio P. Bartholomæo Polo novam Christo luſtran-

ſtrandi familiam dedit. Vt primùm enim illum iſtuc appulſum fama percrebuit, plures Indi etiam peregrè ad Patrem baptiſmi poſcendi gratiâ affluxère, atq; ab illo catechiſmo erúditi, ac patrias leges exuere, ut Chriſtum induerent, ſunt edocti, & Sacramento luſtrati. Eſt iſtic flumen celebre Caqueta nomine, quod accolunt plures quàm centum ac triginta Provinciæ, quarũ minimæ ſexaginta millia, maximæ verò, plusquam centum, aliæ ducenta familiarum millia numerant, id quod Indorum à Patre baptiſmo expiatorum, atq; Hiſpanorum, qui oras illas introſpexère, narratione didicim9, ut proindè tantò faciliùs illis dæmon perſvaſerit, ut victimarum loco, Indos cæderent principi tenebrarum. Atq; iſtic denſæ tenebræ tenent ignaras Dei animas in abyſſo cæcitatis, dum aliquispiam illis à Deo deſtinatus affulgeat. Septem dierum navigatione per illud flumen ad Provinciam Moſquitanam appulſi ſunt, quam conſtans fama eſt conſtare plusquàm centies mille familijs, & glorioſi Bartholomæi Apoſtoli quondam præſentiâ nobilitatam. Eſt iſtic fluvius aureus dictus ad cujus marginem viva petra eſt, quam antiquitùs diditus, & in hæc usq; tempora porrectus rumor ab impreſſis è Sancto illo Apoſtolo pedum genuúmq;

ûmq; veſtigijs celebravit. In ea etiam, quam Sancto ſacram ſolitudinem captanti uſui fuiſſe perhibent cavernâ, characteres petræ vivæ impreſſos negant hactenus legi potuiſſe ab ijs, qui Caſtellanam aut latinam literaturam norunt. Alius autem, qui recondita gentium idiomata calleat, iſtuc nemo hactenus penetravit. Illud adæquè commemorandum, & magis mirandum occurrit, quod, cùm olim in cæleſtem illum virum quædam audacter ac ſcelerate auſi fuiſſent nonnulli, divulgatiſſimo per illas oras divinæ iræ exemplo, pœnæ illis inflictæ memoria immortaliter perſeveret. Viſitur ad fluvium illum aureum, domus præcipuâ celebritate antiquis ac modernis ſeculis nota, quæ 20. focos, id eſt familias complexa, conſceleratum hominum genus, quod ita exterminare placuit divinæ juſtitiæ, ut tamen illos relinqueret memoriæ poſterorum. Hæc domus tota coorto in S. Bartholomæum Evangelij gratiam, gloriam decora iſtic prædicantem impetu, arma certatim corripuerat, Apoſtolum internecione deletura, & in ipsâ ſceleris aggreſſione, omnes Indi, Indæ, domus tota, frumentum, ligna, platani, ſupellex mobilium fortunarum, aves ipſæ iſtic repertæ, & quicquid ad eam domum ſpectabat, admirabi-

li

li metamorphosi in petram conversa sunt. Est videre etiamnum Indos cum arcubus ac sagittis ad vibrandum tensis, Matres cum parvulis ad pectus hærentibus, alias in molendino cum annona occupatas, in opere ipso in saxum obriguisse. Atq; hæc oculatorum testificatione, neq; ulli dubiâ istic fide pro exploratis haberi indubitabili asseveratione affirmant. Quæ res audita multo nobis auxilio est ad animos percellendos, & inclinandos ad fidem ab Apostolo prædicatam, & baptismum expetendum.

2. Adminiculo sunt nobis ad idem alia quoq; pedum gloriosi illius Apostolici vestigia, quæ in petra; & doctrinæ quæ in Crucis veneratione reliquit. In Mainensi Missione, cùm per locum plenum periculi transiret navis, Crux illius proræ, Crux puppi, Crux carinæ imposita est ab Indis ethnicis: qui tamen periculo illo perfuncti, cruces illas protinus abjecerunt. Patri autem, ecquid causæ subesset illi seu brevi cultui, seu postea neglectui interroganti, respondère; Indis istic idola varia esse in veneratione. Quædam tantùm imminente ac durante discrimine: quo cessante, idola quoq; in oblivione relinqui, usq; dum alia iterum quæpiam necessitas illa in mentem revocet,

pri-

pristinæq; religioni restituat, eâ iterùm religione non ultra periculum duraturâ.

3. Inter eos qui lustrali baptismate Christi nomini accessère fideles, fuit Inda per diutinum sangvinis fluxum jam ad sceleti miserabilis formam, & cadaveris planè imaginem redacta. Hanc Pater è Popajanensi Collegio, cùm in missione adiret, ac vivere adhuc stuperet; ubi illam à rudi quodam, ac planè imperito, nullo peccatorum dolore præmisso, baptizatam advertit, ex ijs quoq;, quæ ab illa quoquo modo balbutiente collegit, decrevit Sacramentum fuisse irritum. quocirca ritè instructam, & de universæ vitæ peccatis dolentem, pijssiméq; ad Sacramentum compositam dum videret, illam sacro fonte expiavit; & fæmina statim à pronunciatis Sacramenti verbis, adhuc ab aquâ madida expiatam animam Christo dedit; quasi hoc unicum divina benignitas expectâsset. Anno vertente destinatum ejusdem Patris in eadem missione iter intervertit mora inopinata. Quocirca dum moratur, ad ægram illius fæminæ filiam evocatus, eodem planè modo etiam illam Sacramento illo malè administrato, baptismi indigam, instruxit, ad peccatorum pœnitentiam excitavit, ac piè pœnitentem, & Sacramenti avidam Christiano fonte lustravit.

cujus

cujus etiam anima è vestigio carne soluta, Patrem admirabili è Dei providentiâ hausto solatio perfusum reliquit.

§. 2. *De Sacramentis Pœnitentiæ, & Evcharistiæ.*

4. Non alia in hisce oris cælestis iræ seu misericordiæ significatio Indorum animos ad Sacramentorum frequentationem accendit magis, quàm cujus testis oculatus fuit P. Bartholomæus Polus in Vrbe Pasto, per sacros quadragesimæ dies Ecclesiastes. Abest ab Vrbe Pasto mediæ ferè levcæ intercapedine mons admodùm editus, ambitu suo duodecim, aut plures levcas complexus. Hic non infrequenter, aliàs nivalis & canus, solet etiam igneas quasdam velut alas expandere, ac terrorem latè minari. Exarsit hic mons medio ferè noctis cujusdam, quæ sublustris primùm, deinde illustris planè ac lucida, sed luce tristissimâ, trepidos Pastoenses, accedente ad terrorem horrendo etiam terræ motu, à somno excivit, ad cœli quoq; coruscantis, fulgurantis, ac tonantis aspectum attonitos, cùm fulmina è cælo præcipitari viderentur, & omnia ire pessum, cælo terráq; ruinam Vrbi minantibus. Quapropter ut securitati suæ consulerent, circumspectabant, quà fugam capesserent, sed

aliud

aliud ex alio periculum consilia hebetabat; cùm vibratorum è monte ignium in altum ejectiones ad 20., uti videbatur, hastarum altitudinem viderent, & globorum igneorum tantam & molem & numerum, ut vel à singulis exitium timeri potuerit, ab omnibus vero tanquam inevitabile aut jam præsens haberi. Accedebat ad hanc nova formido duorum fluminum liquido igne vasti torrentis instar è montis arduo, præcipiti tumultu deorsum se se volventium, & quasi amplexu toti Vrbi perniciabilem obsidionem non tam comminantium quàm afferentium. Vbiq; fugam aperiebat, ubiq; intercludebat timor consternatis animis catervatim usq; quaq; cursantium; cùm ad P. Bartholomæum in Regio foro consistentem Vrbs tota concurrit. Jam ille Vicario, primoribusq; persvaserat, ut quantâ maximâ id fieri rebus adeò perturbatis posset pietate quàm decentissimè, Angelicum Eucharistiæ Sacramentum, & unà gloriosæ DEI Matris imago è Parochiali templo ad supplicationem proferrentur, ad animos à perturbatione ad spem, ac ad ea quæ in difficili adeo rerum articulo necessaria sunt permovendos. Tum vero effusis vocibus peccata palàm confessi expiati sunt cùm urgens periculum, eo expiari petentium multi-

multitudo peccata omnia percenſeri non ſineret. Eo peracto populus univerſus flebili ſpecie ac voce Dei miſericordiam identidem imploravit; & Patri ſcabellum in fori medio collocatum, è quo ille ad avidos & paratos, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui, flagrantiſsimè loquebatur, nunc Devm, nunc populum ſingultientem per appoſitam apoſtrophen allocutus. Ac tum demum citra ullum ædificiorum detrimentum, hominúmve jacturam rediijt implorata à Deo tranquillitas. Hic omnes, ac non pauci qui longâ cunctatione catenam trahebant annis ac peccatis gravem, ſe ſe ad vitam compoſitiùs emendandam, per Sacramenta ſæpiùs repetita intentiùs contulêre.

5. Quidam in Hiſpania neſcio à quo per violatas duelli, ut vocant, leges honori quoq; ſuo inuſtam notam, quàm acerbè ſentiebat, tam acriter ultum ibat, per omnes latè Indias occidentis, ut hoſtem illum ſuum ultioni gloriæq; ſuæ victimam faceret, adeò impius inveſtigator, ut toto annorum ſeptemdecim interfluentium ſpatio, ne ſemel quidem, ſe ſacro pœnitentiæ tribunali, nec ſemel ſacratiſsimo miſſæ ſacrificio audiendo ſtiterit, neq aliud quidpiam fecerit, è quo Chriſtianum eſſe colligeres, cùm nihil cuperet, aut volveret, vel caperet aliud

quàm vindictam. At ab ipsis primordijs ultima prospectans, illud æternæ mentis numen atq; consilium ita rem contexuit, ut in eadem Pastoensi Vrbe illum reperiret, quem quærebat. Hunc ergò templum ad Nostrum, qui istic ad concionem ardenter dicebat ingressum foris ad mortem præsentaneam præstolatus, loco in quo furenter æstuabat sic ferente, audiebat ea, quæ mirificè ad rem præsentem in templo dicebat Pater, ignarus quid foris in hujus animo ageretur. Hunc ergo subauscultans ultor iste, percellitur, & primùm vindictam differre, deinde planè omittere, atq; cum DEO in gratiã redire deliberat. Quapropter luce jam creperâ ingruentibus aut jam intendentibus se tenebris tectus, larvam induit, & se ad Nostri pedes peccata in Sacramento fassurus abjecit. Adeò postea inflammatus, ut non tantùm personam sibi detraheret, verùm & mundo se exueret, neq; jam personatus, verùm apertâ fronte ac exporrectâ se DEO in religione planè addiceret; ubi etiamnum cum luculentâ virtutis non vulgaris laude vitam ducit exemplis nobilibus conspicuam; fatetúrq; quantâ è charybdi evaserit.

6. Magno etiam ad Sacramenta obeunda diligentiùs & frequentiùs, adjumento fuit anni 1648. lues quæ Quitensem Vrbem ter-

terruit & quassavit, cum plusquàm novem mortalium millia sustulit, & plures longo langvore prostravit. Enimvero illa necessitas virtutis nostræ cos fuit. Nam cùm aliàs Quitense Collegium ducentis facilè pauperibus ad portam Collegij opportuno auxilio subveniret, intentiore curâ tunc laborandum fuit, atq; etiam in corporum commoda in animorum gratiam vigilandum. Distributi per singulas Vrbis partes è Socijs bini ac bini; qui tamen ad corpora procuranda quotidie domum reverterent. Increvit etiam Sacramentorũ desideriũ inter tot ubiq; mortis minas. institutæ, quoad citra noxam licuit, supplicationes. Publicæ venerationi expositum quotidie ad unam horam sanctissimum Evcharistiæ Sacramentum, populo supplicanti: & sæpè nostri à divinâ velut manu in aliquas domos ducti, nullius rogatu, & reperta istic maxima Sacramentorum inter extrema obeundorum necessitas. Certè fœmina peste ac fœtu gravis & conscientiâ saucia suppresso quopiam flagitio, ubi pollicitum nostrum audivit, si confiteretur, corporis ac animi sanitatem, confessa est, & sanata.

7. Juvenis licentiore ibidem quàm facilè credi possit, libidine illigatus, foràs ad suas possessiones concessit, ubi citra moni-

toris cujusquam interpellationem libidinari ſecurè poſſet. Ibi Sacramenta uſurpabat ille quidem, ſed nominetenus, & oſcitabundè; cum deonerare aliquid ex infelicibus illecebris nollet, eóq; tantùm veluti dicis causâ, quod ajunt, ſibi Sacramentorum nomine per ſacrilegia blandiretur. Sæpè ſe interno inſtinctu commoneri ſentiebat, ut ſe ad Noſtrum conferret conſcientiæ componendæ causâ: ſed ille contra illum ſtimulum pertinax calcitravit, cùm ſecum reputaret, Noſtrum illam Dalilam perpetuum ac domeſticum lubricæ inſaniæ invitamentum, non paſſurum. Cùm autem ita ſecum & cum DEO perdius & pernox luctaretur, ſemel ſe in hac ſcelerum charybdi morte feſtinâ è vita ereptum ſomnians vidit: & haud gravatè ſibimet indulgens, nocturnæ illi imagini primùm illuſit. Magis illum terruit nox altera, quæ illum ad æternitatis tormenta dejectum triſti ſpectaculo exhibebat in ſomno. Sed præpotuit impurè ac flagitiosè lateri ſemper adhærentis Dalilæ conſvetudo. Et tamen interlucebat cæleſtis quidam radius; neq; interquieſcere ſinebat vermis cor putidarum ſuarum ſordium non inconſcium, eóq; contabeſcens. Quapropter, ad animum hilarandum, ſe cum ſuâ illâ in campum contulit,

tulit, ubi ſudo jucundè cœlo ea illi divinitus cogitatio eſt injecta; Certè poteſt me jacto è cœlo fulmine DEUS morte hic plectere, ac me ab hac mea vel ſic avulſum infelici æternitati toties vocanti rebellem addicere. Iſta cogitantem formidabilis cœli aliàs pulcherrimè ſereni tumultus, & vibratum horrendo cum fragore fulmen, etſi non trucidârit, aut ſauciaverit; ponè tamen cadens conterruit, ac tandem deliberabundas & ſegnes cogitationes in ſerium conſilium vertit. Adoravit mirabilem DEI tam diu ſe contemni patientis tolerantiam. atq; in Vrbem redux omnia veri pœnitentis officia cumulatè peregit, cùm illecebroſo illo ſuæ ſalutis impedimento abjecto, totam vitam lachrymarum ac doloris impendiò plenus apud noſtrum confeſsione retexuit, factus è Scandalo civitatis idea virtutis; & Societatis laudator tantus, quantùm illam ante horruerat. Ajebat enim, ſe quoties divinâ vi retrahebatur à culpa, toties etiam, ut à ſocietate remedium peteret, eſſe permotum.

8. Alius apud Panamenſes, quem hactenus perſonata quædam pietas tantùm ad ſacrum & confeſsionem vocabat politico fuco fallacem, poſt longam ſacrilegorum annorum intercapadinem una de æternitate

concio, quam humanæ tantùm amicitiæ causâ accesserat, admirabili modo ex alio, alium fecit, ipso & omnibus, qui hominem nôrant, attonitis. Fuit & alius, qui se in viam salutis dederat: sed ad volutabrum reversus, cùm ab obvio confessario sæpiùs moneretur, & semel demum ecquo in loco suæ salutis res esset rogaretur, optimo esse loco respondit: nec elapsâ 8. dierum intercapedine in sinu illius, quacum incredibili omnium scandalo vixerat, utinam non obscænam, animam exhalavit.

9. Ibidem è Panamensis Vrbis primoribus quidam, cùm pristinæ valetudini restitutus ad vomitum quoq; revertisset, dicacissimâ jocatione suæ illi, quâ æger peccata confessus fuerat, & honorem alijs per lingvæ intemperantiam detractum restituerat, pietati petulanter illudebat: Fuisse illâ morbi sui phasmata, quæ mentis parùm compos inconsultè dixisset. Quocirca in publica & lingvæ & vitæ lasciviâ perstitit: usq; dnm repentinò concidentem, & mori se, mori clamantem, in conscelerati scorti manibus, vita defecit.

10. Formidabile, sed non paucis utile fuit & istud, quod narrat Panamaense Collegium. Miles qui toto quadraginta dierum jejunio à concione, quam noster ad milites

quo-

quotidie habebat aberat ferè unicus, cùm letali pressus morbo, morti potiùs, quàm vitæ esset vicinus, tandem videtur, tametsi difficillimè adductus, ut confiteretur. Verùm ubi Pater illum è decalogo interrogare aggreditur, nihil nisi vocem omnia negantis extorquet; idem Patres alij tentavère, idem ipse, qui ad præsidij milites dixerat; irrito conatu, omnes. Manebat ferrea homini obstinatio: nec dabat locum ulli remedio, multâ commilitum dolentium admiratione. Fusæ pro illo preces variæ. Tum Pater, postea quam unà cum alijs comprecatus, DEIparam agonis ultimi agonothetam fidelem ac felicem fuisset unicè deprecatus, ardore nescio quo inflammatus, ad ægrum: Ecquid sceleris patrâsti, inquit, miserabilis Christiane, quod ne ipsius quidem DEI Matris ope obstinationem ponas? Omnibus ad hæc mirificè perculsis, æger horrendum quiddam vultu mortuali præseferens incondito quodam corporis gestu obstinatam animam ejecit. Funestæ adeò mortis causam ad neglectam obstinatè divini verbi auditionem non ineptè alij retulère. Sed utriusq; concionis nempe confessionisq; neglectæ pœnam justissimam in eo reperit fama non ex vano hausta, cùm vir cumprimis probus & gravis Patri retulit,
O 4 hunc

hunc militem cùm in Portobolensi militiâ ageret, rixâ cum nescio quo amoris in quandam sui æmulo, per obscænam utrinq; zelotypiam coortâ, proco illi æmulo letale vulnus inflixisse, atq; illi mortis propinquæ & conscientiæ malè ad illam comparatæ anxio, & confessionem, confessionem miserabiliter suppliciterq; imploranti prælongum ferrum in cor adegisse, atq; dixisse: Age, vade, ad infernum descende; atq; illic dæmonibus confitere.

11. In Collegio Popajano magnum in pœnitentiæ tribunalibus reorum auctarium adjecêre narrata in templo nostro exempla, usq; adeò, ut ne sequenti quidem die expectato, illâ ipsâ quæ jam se se intendebat nocte fuerint expiandi, quos mira exemplorum apposité sinè vanitatis phaleris narratorum vis timore atq; amore DEI salutariter penetravit. Ajunt supra fidem esse quantus sit confitentium ardor, ac numerus ubi hactenus vix centeni fuerant, nunc millenos esse, qui petant expiari.

12. E Quencensi Collegio Pater ad Indum supremis jam citra vitæ spem admotum accessit, & illo audito cùm ad Collegium reverteret revocatus, rediijt. Pater, ajebat ad reducem æger, Pater? Jam pereo & vado ad illam, quam nunquam benè hactenus, &

ne nunc quidem integrè confitendo sum promeritus æternitatem, nisi tu adjuves. Et omnia cum eximiâ dolentis animi significatione executus, vix absolutionis sententiam è Patris ore audivit, cùm plenam doloris animam, ingenti divinæ misericordiæ documento, Deo misericordiarum dedit.

13. In Missione Mainensi, in Vrbe cui nomen à Vallisoleto inditum olim fuit, mira superstitionum portenta commentus dæmonæ confessionis quoq; nostræ simius factus est. Quódq; seu risum seu misericordiam moveat, ajunt, quòd si quispiam barbarorum suo sacrificulo non bonâ fide peccata omnia ex integro fateatur, dæmonem adesse, ac voce apertá clamare Sisilo, id est, Mentiris. Ad hæc facit, ut ranunculus seu quiddam bufoni simile falsi pœnitentis pectus ingrediatur, & eam, quæ collum inter ac pectus interjacet, partem importuno reptatu eoúsq; sollicitet, dum omnia particulatim efferat, quæ simulatè tacebat.

§. 3. *Quædam erga nos divinæ providentiæ argumenta.*

14. Duo tantùm hìc adnoto: nam reliqua ex aliis peti possunt. In Cuenca Vrbe plenus tragicæ tempestatis tumultus in nos gliscebat, cùm rebus jam propè conclamatis,

maris, vir senex, cui authoritatem ætas addebat ac virtus, repentè se in medium dedit, & pro Societate tam disertè dixit, ut universa Vrbs festo clamore sublato, *Vivat, Vivat Societas!* inclamârit, móxq; de Collegio istic ponendo, & stabiliendo actum ac peractum sit, magnis deinceps Collegij ad publicum Reipublicæ commodum incrementis.

15. Ibidem quidam veste, ac nomine tenus Ecclesiasticus, quo demum cunq; ex capite intervertendis Societatis rebus apprimè studebat, dicere quoq; ausus cum apud Quitenses esset Cuencæ Collegium se superstite fundandum nunquam. Fidem dicto fecit exitus: nam antequam Cuencam reverteret, & ille vivere desijt, & vivit Cuencæ fundata Societas.

§.4. *De Christi Domini Nostri imagine.*

16. In Quitensi Collegio jam ab annis ampliùs triginta veneratione erat omnibus statua vultûs patientis Christi quam communi vocabulo, *Ecce homo* vocant. Hæc aræ Christi imposita beneficentiam veterem novis cumulat beneficijs, adeò, ut CHRISTVS *à consolatione* dicatur. Crebra istic luminaria collucent; ajúntq; illi divinum quiddam inesse ad animos ad pietatem
com-

commovendos. Semel quot hebdomadis reducto velo palàm conſpicitur tempore ſolennis ſacrificij, quod eſt de Paſsione Chriſti. Miras utilitates percepiſſe ſe fatentur varij à floribus ex illius ara ſublatis, ab oleo lampadis, & fruſtulis candelarum coram imagine ardentium. Inde eſt, quòd à locis longinquis frequens mortalium vis accurrat & anathemata plura pendeant beneficiorum; quæ tanta ſunt, ut vel ſola bene longæ narrationi ſufficiant. Juvat hic meminiſſe rei ſolidæ ad virtutis egregiæ documentum. In Sanctimonialium S. Catharinæ cænobio religioſæ cuidam inurendum erat, quod medici vocant, cauterium, & inſigne ſubeundum cruciamentum à Chirurgi manu ac ferro in pectoris carcinoma mittendis. Monialis de ſubeundo cruciatu ac periculo ſollicita, reliquis quoq; timore attonitis, neq; chirurgo metum ac periculum diſsimulante, illam Chriſti conſolatoris imaginem clàm ad cænobium deferendam impetrat, coram illo ardua omnia ſubitura, doloresq; ſuos illius doloribus fortiter conjunctura, & abſterſura. Et vero ignem inuſti cauterij tam tulit æquo animo, ut ne ſenſiſſe quidem videretur. In reſecandâ verò carne pectoris quantumcunq; cruento ferro graſſaretur chirurgus, ut cancrum invetera-

ratione

ratione ipsâ magis formidabilem immiti sed necessario laniatu excinderet, hæc tamen totis oculis Christo suo affixa, tantum ex illo aspectu fortitudinis, & magnanimitatis hausit, ut ipso forti suo silentio dicere præsenti Christi imagini videretur: *Fortitudinem meam ad te custodiam*: chirurgo quoq;, qui se mortis discrimen in illa non ex vano timuisse dicebat, & robur virtutis tãtæ stupente, & felicem valetudinis bonæ successum, Christi potiùs imagini quàm suæ artis felicitati adscribente. Omnibus hilaratis, ante quàm statua in templum & ad aram referretur, fortis illa Monialis æternam beneficij tesseram futuram unam cannæ, seu arundinis, quam Christus pro sceptro manu gerebat, particulam, abscidit. Constabat quàm longa fuisset canna & ante & postquam ita fuisset imminuta; & tamen per nostrum certâ mensione est exploratum, illam post paucorum dierum intervallum ita succrevisse, ut primæ illi suæ mensuræ non minus quàm ante quàm fuisset imminuta, responderit.

§. 5. *Evcharistia urit sacrilegam.*

17. Apud Quitenses Inda post conscientiam apud Nostrum expiatam, letalis cujuspiam noxæ per oblivionem omissæ recordata.

ta cùm citra notam, facilè confiteri posset, ad Evcharistiam accesit. Sed illam in ignem conversam, seq; ab illa in ore guttureq; uri adeò sensit, ut licet voce id quod erat non prodiderit, dissimulare tamen haud potuerit, quin ij, qui aderant, rem quæ gerebatur adverterent. Quocirca Sacerdoti commendata non priùs ignem illum extinxit quàm peccatum candidè aperuerit, ritè ab eo absoluta.

§.6. *Beatissima Virgo Deipara.*

18. Ibidem quiddam facinoris etiam in Sacramento per silentium texerat quispiam. hunc morbo prostratum aggressus horrendus inferni genius adeò perterruit, ut in singularis beneficij loco posuerit, se illâ trepidatione non fuisse exanimatum. Sed ad præsentem ad lectum divinæ Matris Virginis imaginem conversus pulcherrimâ serenitate, ac securitate, simúlq; magnâ ad plenam de peccatis confessionem apud Nostrum Sacerdotem faciendam voluntate se plenum sensit: & spectro evanescente, viribus ac valetudine propediem restitui ac Sacramenta piè frequenterq; usurpare cœpit; multam se gratiam Virgini debere gratè fassus, cujus imaginis aspectu & dæmon abstitisset, & sibi tanta lux fuisset oborta.

19. Est istud quoq; ibidem non dissimulandum

mulandum laudatæ consvetudinis documentum, quâ lectis ipsis aut certe prope in conspectu MARIÆ DEI Matris imago appenditur. Sacerdotem, quocum obscænè con sveverat, fæmina destinârat ad mortê, noctè concubiâ perpetrandam, sive sceleris jam pertæsa, jámq; vel sic occasionem volens abrumpere; sive per non inconsvetam fæminei ingenij inconstantiam facinoroso amore in funestum odium converso; sive illius fortunis, ac novis ab alio amoribus invitata, scire haud interest Jam feralis trunci frustum in altum in ipso lecto manu elevaverat, ut vibraret in caput securê, ut ille putabat, dormientis, cùm lectum novâ quadam luce perfusum stupet, ictúmq; suspendit, ut videat unde illa erumperet. Advertit lucem è vicinâ cælestis Virginis Matris imagine se se effundere. Quo spectaculo usq; adeò perculsa est, ut fæminæ seu validius anhelantis, seu se se commoventis inquietudine Sacerdos quoq; ille somno discusso experrectus, ubi didicit id quod erat, & ipse apud Nostrum vitam pessimam cum optimâ commutârit, & suæ illi lupæ author verbis ac persvasorio exemplo fuerit, castissimis lachrymis præterita vitæ obscænæ dehonestamenta deflendi; atq illud peccatorum refugiu augustè ac perseveran-

ter colendi, à cujus imagine vibrati radij alterius manus à scelere jam patrando, alterius animam a proximo æternæ mortis confinio, utrumq; ad lucem à tenebris, revocârint. Quæ omnia & Sodalitijs Marianis, quorum ibi complura sunt, & nostro ad concionem de cultu Virginis incredibile pondus addunt, ut quibus possumus eloquentiæ ac exempli viribus omnes ad illam quàm religiosissimè venerandam pertrahamus: cujus etiam festa omnia in Panamano Collegio non unius tantùm diei cultu circumscribuntur, sed plenâ octo dierum celebritate ornantur.

§.7. *De zelo puritatis.*

20. In missione villæ Sanctorum cum difficile videretur consvetam Christianæ fidei pietatem sinè pudicitiæ, aut certè debitæ decentiæ quadam veluti verecundiâ exercere, Maura quædam alijs locupletior, alijs è suo sexu vestes suas dedit interea, dum ad pœnitentiæ ac mensæ Angelicæ Sacramenta honestè decenterq; accederent cùm aliàs non nisi primigeniâ illâ Adami in Paradiso veste, arborum nempe folijs, se se contegerent.

21. Percrebuerat hâc tempestate ab antiquo ductus pravissimus mos in Vrbe Panama, quem nec metu, nec præmijs poterant abolere ij quorum intererat, quan-

tumvis id vellent. In loco ab arbitris remoto, & fidâ exploratorum custodiâ contra leges ac legum pœnas communito, conveniebant Mauri, aut Mauræ frequentes ad quoddam impudentis admodùm ludi genus, in quo Mauri inverecundâ corporis nuditate joculatoriæ petulantiæ dabant fiebántq; spectaculum, cui consvetudini tametsi oculis procacibus non irridiculæ, & antiquæ, finis omninò est impositus, & velut exilium irrogatum; simúlq; consultum in utroq; sexu pudicitiæ oculorum, atq; etiam animorum.

22. Erexit apud Quitenses immortale fortissimæ ad mortem usq; purpuream pudicitiæ labarum virginitas, in puella, quæ perpetua templi nostri velut incola in Sacramentis frequens, & publicum optimæ notæ solidæq; virtutis exemplar venerationem apud alios, amorem improbum apud impudicos nescio cujus oculos invita & ignara prorsus invenerat. Erat is adolescens, qui cùm hujus Virginis formam semper ferret in oculis, & illos duces promptè ad præcipitium sequeretur, cùm illi opes quoq;, id est esca malorum, abundè suppeterent, Virginem pulchriorem quàm ditiorem blandis invitamentis, quæ referre non attinet, aggressus, pudentissimam illam frontem

rubore

rubore verecundo, ſed lingvam & os caſtiſſimâ fortiſsimáq; , ac verbis præſenti argumento idoneis plenâ indignatione implevit. Sed ille turbulentè inquietus, cùm per dies plures nil ſpei reperiret, minaciter ſolam adortus, palúmq; illi, quem manu vibrabat, & certum exitium intentans, eùm illa perſeveranter nollet, diceretq; malle ſe immaculatâ morte trucidatam concidere, quàm Sacramento juratæ Deo virginitatis qualemcunq; jacturam ſive facere ſive pati, illam ictu valido eóq unico internectam proſtravit. adeóq; Quitenſis Virgo Martyrem palmam virgini lilio illigavit.

§. 8. *De S. P. Ignatio.*

23. Non ignota etiam in Vrbe Quitenſi fama eſt, cùm apud alios, tum apud puerperas proſperè obtenti à S. P. Ignatio præſentis auxilij. Vnam appenſum ejus numiſma & à partu, & à peſte indemnem fecit; & celebri ac feſto rumore per omnes didito res pro miraculo celebrata.

24. In Vrbe Quenca matronæ nobili diuturna ſangvinis fluxio jam omnem vivendi ſpem interverterat. Jámq; medicinis nil niſi deſperationem augentibus, mortualia parabantur, cùm viſentium quampiam de S.P. Ignatio colloquentem auſcltans

audivit,nescio quem insigni planè beneficio à sancto hoc fuisse affectum; sed beneficium ingratâ & inerti oblivione sepultum sine ullâ grati animi significatione mansisse. Tum ægra nobilis,magno sensu teneri animi ac dolentis ad S. P. imaginem in hæc prorupit: O gloriose mi Pater, si quâ erga illum beneficentiâ fuisti,eâdem me quoq; dignareris, quàm ego impensè curarem me tibi gratam pro dignatione tam tempestivâ exhibere! Dein quædam animo concepit ac decrevit officia pietatis in Sancti venerationem suscipienda, & retinenda usq; ad mortem. Et mox;quod ipsa & alij gaudio atq, admiratione sunt prosecuti, se ab Ignatio exauditam salva & valens lætata est, non intermissâ unquam eorum,quæ promiserat memoriâ, & fidelitate.

25. Alia itidem nobilisQuencensis,cùm suum parvulum in cunis, quem unicè amabat,morti jam proximum dolenter aspiceret, illum ad pedes imaginis S. P. Ignatij, quem præcipuo studio prosequebatur, deposuit, flagrantissimèq; rogavit, ut, si quidem ita esset melius, parvulum retineret in vita. Ita precatione ad meridiem usq; productâ, cum dolentes oculos piè in S. P. imaginem convertisset, luce palàm advertit, Sanctum exporrecto ab imagine dextro ad

cunas

cunas usq; ad parvulum brachio quiddam, quòd infans intelligere videbatur, innuentem, & infantem vicissim velut in amplexus tenera brachia explicantem, & suavissimo Matris solatio expirantem, & à morte amabili quadam formæ gratiâ undequaq; perfusum.

26. Gratiam quoq; referre injuriæ, ut vivus nos docuit, sic ipse nunc etiam ibidem fecit Ignatius. Homo qui nihil contrasvadentium consilia, totúmq; bonorum torrentem moratus, œstro quodam politico invidóq; nihil omisit quod poterat, ne firmas in Vrbe Quencensi radices ageret jam recepta Societas. Hic ipso S.P. Ignatij die quo Civitas universa, divinæ in Ignatio gloriæ ancillata, pietate suâ celebritatem nobilitabat, ad armentum, seu armentitium vaccarum gregem foris visendum se contulit. Ibi dum gregem lustrat, vacca ferocior (quam Indi *caput diaboli* appellabant) toto pedum, & infestorum cornuum impetu in illum fertur, & fugientem ponè insequitur, etiam id quod interjacebat repagulum transilientem, saltu propemodùm assecuta. Tum ille à præsentissimo periculo pavidus, versâ in pietatem necessitate, DEO trepidæ memoriæ non alium quàm Ignatium suggerente, opem Ignatij unicè

interpellat, móxq; vacca infeſtis hactenus intemperijs magnas minas agens, repentè abſtitit,cùm prædam jam præ cornibus haberet. Is verò in Vrbem lætabundus revertit,& Ignatium liberatorem ſuum conversâ in benevolentiam invidiæ rabie, agnovit,æſtimandæ,ac ubiq; laudandæSocietati jam impendiò addictus.

27. In Quecenſis Vrbis dominatu Indæ puellæ duodeviginti annos natæ ſemper infeſtus, ac etiam truci ore ſpectabilis dæmon, nunc ſerpentis,colubri, nunc Æthiopis larvâ perſonatus,& verba & cultrum offerebat, quo ſangvinem & vitam hauriret, ac deſperanter eijceret, cùm jam ne in cibum quidem quicquam ſineret illam admittere. In Vrbem adductâ filiâ,parentes, cùm nullum remedium proficeret, conſilium inière ut ad Noſtros perduceretur.Fremebat, & longè quàm aliàs minacior prohibebat inferni genius,ne id illa auderet;niſi vellet quiddam truculentiùs experiri. Sed neglectæ inermes minæ: adductæ puellæ collo S.P.Ign: numiſma eſt appenſum: & fugato improbo interpellatore, illa ſibi reddita; innocentem etiam aliàs animam pœnitentiâ eluit, duarum hebdomadarum intercapedine priſtinæ,ac proſperæ valetudini reſtituta.

§.

§. 9. *De S. P. Francisco Xaverio.*

28. In Vrbe Popajanensi vir non minùs virtutis, quàm opum dives, nascituram prolem suam S. Xaverij nomini, eodem etiam nomine donandam devovit. Et verò fassa est ejus conjunx, parienti sibi summo unicóq; levamento fuisse dilectam sibi, quam coràm venerabatur, Sancti sui Xaverij imaginem. Verùm natus & fonte lustrico Christo authoratus Xaveriolus, brevi post magnum vitæ discrimen adijt: Ibi viso parvuli jam mortualem colorem induentis velut cadavere, jam de exequijs agebatur. In incerto est, jamne verè mortuus, an tantùm intercepto spiritu moriens jacuerit parvulus: illud certum est, in illa se morte, seu mortis opinione jacenti impositam S. Xaverij à pio parente imaginem parvulo spiritum, ac valetudinem reddidisse. Volebat nempe vitæ arbiter Devs honori sui Xaverij, & paternæ pietati tantisper illum concedere. Tantisper dixi; nam posteaquam pervadens Vrbem rumor subitariam illam pueri in dubiâ & apud aliquos certâ morte jacentis vitam & valetudinem divulgavit, & parvulus aliquamdiu prosperè valuit, dilatæ tantisper morti succubuit.

§. 10. *De B. Francisco Borgia.*

29. Formidabiles terræ tremores Popajanen-

janensem Vrbem sæpe afflixerant, in quibus quia Cives propitium B. Borgiæ nomen sensere, illum anno 1647. in Vrbis Patronum publicâ suffragatione unanimes elegêre. id quod etiam ab Vrbis S. Fidei incolis factum utiliter fama perhibet, ac ipsi luculenter affirmant.

§. II. *Rara quædam in missionibus reperta.*

30. Varius est naturæ genius, & admirabilis, cùm aliàs, tum verò quando quâdam superstitionis ad infernales genios ciendos natæ admirabilitate aspergitur. In Mainarum missione reperta id genus quædam curatiùs edisseram. In Pajarana hujus missionis orâ est nanum quoddam sive pygmæum sylvestrium Indorum genus, qui avito indigenarum errore sunt immortales, neq; infante trienni majores unquam. Quibusdam unus tantùm oculus, alijs unus solummodo pes est. Reperto dum istic Pater in Missione versaretur unius cadavere, mortalitatem illis ab exemplo illius persvadere conatus est Pater: at illis illud novum non fuit, dicentibus Eguam illum (ita immortales illos suos nanos vocant) mortem simulare; sed resurrecturum.

31. In partibus Titinumæ Atalangueos Indos est reperire ut oculatus, idq; idoneus

testis

testis Indus retulit, qui capitis loco ignem habent è collo acephalo identidem erumpentem. Atalangveus verò Indicâ notatione vocabuli ferè idem est atq; is quem capite truncaverit inimicus. Illud hic Patri ab Indis relatum facit ad religionis Christianæ majestatem haud modicum. Ajunt quippe, acephala ista spectra seu monstra Indis postea quam sacris aquis lustrata Christo capita subdidère longè minùs jam quàm ante illam expiationem negotij facessere: quin etiam eos quodammodo revereri.

32. Ibidem juvenis pascendo pecori intentus obvios habuit Æthiopes, quos allocutus, illos unà responsi loco ignem ore toto exundantem reddentes vidit, & concidit, sensibus destitutus, atq; ita repertus à suis quid vidisset exposuit.

33. In Provincia Mocoana sunt arbores, quarum fructus grandiorum instar olivarum, sed rubri sunt. Id quod extra nucleum est, avibus tantùm in cibum cedit; quod intra variè aptum est in usus mortalium. Etenim in fracto nucleo resinæ, seu virginis ceræ potiùs, instar quiddam est etiam in colore, quod istic *sevum de Palo* dicitur. Lique factâ sevosâ hac massâ, non minùs utiles ad nocturnum lumen candelæ fiunt, quàm è sevo bubulo. Color candidus arridet o-

 culis,

culis,odor capiti firmando. Neq; ulli animantium injuriæ obnoxias esse hasce candelas è sevo seu cerâ Palensi ajunt experti, cùm neq; canes, neq; feles illas attingant. Adde quod ad tumores, & ad ægritudines frigidas, medicam vim habeant felici emolumento, per experimenta plura contestatam.

34. Neq; illud minus habet admirabilitatis,& istic non infrequens. Sudo cœlo, & Sole flagrantissimo,in locis apertis,& ab omni montium Societate remotis, cadunt è serenissimo aëre serpentes quartam ulnæ partem longi, & ferè pollicis mole crassi, squamis colore argenteis lucidi, geminis capitibus insignes,nam & caudæ locum alterum caput occupat,teneris dentibus & ore armatum non secus ac alterum. Videntur tamen in eo talparum quiddam habere, quòd oculos nulla hactenus diligentia in illis repererit. Veneni sunt adeò pertinacis, si quem momorderint, ut, cùm contra omnia reliqua venena medicina non desit, contra istud necdum ulla sit inventa; nisi terra S.Pauli, quæ sola illis medetur, sed fidei potiùs viribus,quàm naturæ. P.Bartholomæus Polus in sua per illas oras missione vidit, & à peccatis absolvit Indam fæminam,quam id genus coluber morsu sauciatam

tam veneno suo adeò profligavit, ut horribili ac miserando spectaculo sangvinem oculis, auribus, naribus, & ore toto per ingens, & lethale profluvium egurgitaret, inter dolores usq; ad mortem tantos, ut ad illos explicandos lachrymæ potiùs quàm verba suppeterent.

35. Non minus mira & magis jucunda sunt, quæ de ave quadam Mocoana idem refert, habetq; testes, qui illam ipsi & viderint, & audierint. Vulgus illi avi tubicinæ nomen dedit, quòd gutture, atq; ore tubæ sonum scitè omninò imitatione felici & jucundâ æmuletur. Cicur fit atq; domestica, picæ ferè mole, colore cinereo. Vidit hanc avem P. Bartholomæus Polus, aliquid salamandræ habere, quòd ab igne non amburatur. Illud verò supra salamandram est, quòd ipse illam non solùm ab igne illæsam in igne conspexerit, verùm etiam accensas & ardentes prunas ore innoxio comedentem.

De Patribus istic vitâ functis.

36. Duos tantùm reperio. Alterum 1649. 10. Maij; estq; is quem aliàs nominavi P. BARTHOLOMÆVS POLVS, tria vota Professus, vir qui in adeundis inaccessis hactenus missionibus, in penetrando ad gentes in crassâ errorum nocte sepultas multarum ærumnarum perpessu vitæ finem acce-

lerasse dici potest. Tota illi vita ærumnæ, evangelium, baptismus, itinera terrâ, mari, fluminibus. Animarum desiderium dulcis condimenti instar illi fuit. Certè vel ex ijs, quæ ab illo visa retulimus argumentari licet, cujus genij gentem tractaverit. Verbo ea tulit, quæ in penetrando ad gentem, post quam necdum fuit alius, ardua omninò illi ubiq; se offerebant. Neq; minus tantâ patientiâ fuit emolumentum divinæ gloriæ per evangelium propagatæ. Ad hæc fuit in illo eminens quædam Rhetoricæ ac eloquentiæ gratia, deinde incredibilis in morbis, quibus acerrimè ac diu jam inde à juventute exercebatur, tolerantia & pretiosa ubiq; modestissimi animi corporísq; demissio.

37. Magnâ eximiæ sanctitatis existimatione singularibus virtutis heroicæ experimentis conspicuum P. JOANNEM de RIBERA luxit Calensis Vrbs extinctum, tanto sui desiderio post se relicto, ut Cali passim omnes dicerent ægro Patre, paratos se illius vitam retinere vel sangvine de corde deprompto. Vnde vestes à cadavere iterùm vestito non semel direptæ certatim eminentem de viri sanctimonia opinionem luculenter sunt contestatæ. Habent quædam non vanam miraculorum speciem quæ vaticinatione

ticinatione præcepit, ac futura dixit ijs, quorum inconsultam in obeundo pœnitentiæ Sacramento procrastinationem deplorabat. Ajunt quà quà iret, quandam Ninivitarum effigiem visam. Dæmonem qui Adamum se, ac Petrum fingebat, populis ad cultionẽ terræ, ac salutẽ commonstrandam erudiendis, jámq; palàm ad concionem certatim undantem declamabat, ostensis populo illius technis, ad silentium coëgit: plura quoq; digna prolixiore calamo insigniter operatus.

ANNUÆ RHENI INFERIORIS. ANNI M. DC. LII.

INferioris Rheni Provinciam hoc anno 492. Socij tenuêre: quos inter 274. Sacerdotes: reliqui 218.

§ 1. *Ab hæresi abducti.*

1. Præter duo capita Christiano Sacramento à Judæorum errore abluta, hoc anno ab hæresi ad Catholicæ partes Ecclesiæ adducti longè plures quàm 915. præter pagum quendam, in quo pleriq; hæresim ejurârunt. Bilefeldiâ Padebornam appulit hæreticus, istic brevi à Deo per nostros fide Catholicâ, & à Magistratu civitate donatus.

tus. Matertera rumore accepto intoleranter furibunda, curru iter Padebornam ingreditur; & minaciter, si aliter, inquit, nequeam, vel per pedes nepotem Padebornâ extractum Patrijs tectis ac legibus afferam. Vix hæc dixit, cùm in curru interclusâ mox voce ulcus quodpiam sentit, & domum revehitur; non nisi post sex hebdomades verborum aliquid, at citra minas, eluctata.

2. In orientali Frisiâ, ubi duo nostri rerum Catholicarum satagunt, nobilis fæmina prolem omnem ad leges Catholicas educabat, & divinis mysterijs clàm pascendam curabat, usq; dum hæretico marito vitâ functo palàm id licuit.

3. At verò in Missione Glückstadiensi gregarius miles à nostro commonitus ne conjugi hæreticæ muliebriter indulgeret, neq; prolem suam ab hæretico sineret baptizari, effœminaro in conjugis amorem animo ne ad injectam quidem à nostro divinæ vindictæ mentionem, cessit. At ubi baptizatus à ministro hæretico parvulus postridie, ac post triduum etiam uxor illum orbum viduúmq; reliquit, officij neglecti memor ac pœnitens, agnovit pœnam, persanctè pollicitus, nunquam se cum conjuge non Catholicâ matrimonium initurum.

§. 2.

§: 2. *Pœnitentiæ, ac S. Synaxeos Sacramenta.*

4. Confluentiæ, ut in Sacramento pœnitentiæ ne ſemper æthiopes lavaremus, & diras, quibus quidam intemperantis lingvæ homines aſſueverant, non tantùm frequenti Sacramento eluerent, verùm etiam cavere docerentur, hoc demum particularis, ut vocamus, examinis adminiculo conſtanter adhibito eſt effectum.

5. Monaſterij, nobis quidem charitatis, externis verò majoris erga pœnitentiæ Sacramentum ſtudij, occaſio fuit illa tempeſtas, quæ ſub mediam æſtatem ab horrendo fulmine coorta, & accenſo per illud nitrato pulvere adjuta, formidabili cum tonitru, paríq; damno ac terrore mortalium eam in urbem incubuit. Diſcerpta, & proſtrata, quæ propè, quaſſata, quæ plus aberant domicilia: ruinâ confatali obruti ac ſepulti non pauci, alij verò graviter ſaucij ruinæ per nos, alióſq; ordines tempeſtivè ſubtracti, & qui morti vicinæ eripi non poterant, expiati; alij autem in Vrbis noſocomio collocati, corrogatâ per Vrbem ſtipe decem ipſas hebdomadas recreati, adhibitâ quoq; Dominicis diebus appoſitâ cohortatione. Quò factum, ut in attonitæ Vrbis aures faciliùs divina

divina descenderent; ac si quid à cœlo tumultuum audiretur, Nostri per plateas fortè obvij, ad ædes proximas, expiandorum qui affluebant mortalium gratiâ, raperentur.

6. Quodam in loco vitæ licentiam à nostro deducta matrona nobilis, tantâ à sacro tribunali pœnitudine surrexit, ut modum pœnas à se exigendi flagris frequentibus, hispido item perpetuóq; indusio haud parùm excesserit.

7. Calcaria locus est, qui ab Embricensibus nostris fidei rudimentis excolitur. Istic civis quintum jam annum Sacramenti pœnitentiæ fugitans, malum genium affixum lateri habere credebatur. Et flagitabat ille quidem ut se sacris amuletis ab eo expediret, sed nostro confessionem necessariam suggerente, perpetuâ prolatatione ad annum usq; integrum distulit quod ægrè in aures admittebat. Sed cùm noster ægram conjugem accitus inviseret, pellectus tandem est; ac plaudente omni viciniâ divinis mysterijs armatus, liberatus est à comite importuno.

8 Valuit & illud ad facilitatem peccatorum in securas, ac secreti retinentissimas aures deponendorum, quòd hæretici sicut nec Sacramentum habent, ita nec secretum

cu-

curent. Hildesij Prædicans, id est, minister hæreticus, fœminam adulteram gemini sceleris ream esse, ipsâ fatente in confessionis arcano didicerat. Quam ille rem ubi ad Superintendentem, ut ipsi appellant, retulit, jussa est illa palàm omnibus flagitium expiare, ac albo linteo, veluti adulterij patrati flammeo, velata frequenti concioni adesse: facile id quod erat advertentibus etiam mediocriter sagacibus Catholicis atq; hæreticis; nostræ confessionis fidem ac securitatem, nullius sacrilegio violatam, æstimaturis.

9. In Missione Hamburgensi magna eluxit optimi DEI providentia in homine jurisperito, & orthodoxo illo quidem, sed plus tempori quàm æternitati per nimiam ferè fidei dissimulationem serviente. Hunc morbo prostratum cùm noster inviseret, ac peccata fatentem absolveret; ille repentè in hæc verba prorupit: Ergóne jam absolutus sum, Pater? Patre id affirmante mox invocatis magno animi ac vocis sensu sanctis MARIÆ Virginis, ac S. Francisci nominibus, compositis deinde ac porrectis in cœlum manibus, momento expiravit.

10. Hamburgi quoq; duo mense Februario apud nos peccata confessi, ac pane Angelico refecti, in Bremensem Albis ripam

cum decem heterodoxis vehebantur, cùm coorta ſubitò tempeſtas navem fluctibus hauſtam ſepelivit; neq; plures quàm hi duo naufragio ſuperſtites evasère. Id quod ante biennium etiam Sutor quidam Eychariſtiâ item apud nos pactus,& in trajectu fluminis ſolus incolumis eſt expertus.

11. Monaſterij Eifſliæ inter eos,qui ad frugem,reducti ſunt fuitSacerdos quem ex, implicatis litibus nata mœſtitia jam in Hollandiam agebat, ubi prælicenter; quidvis crederet,ageretq;. Et tamen audebat in his impietatis machinamentis tremendo ſacrificio operari. At ſacrilegium illi in antidotum vertit patiens, & liberalis DEVS! Nam cùm divisâ jam ſacrâ hoſtiâ *Pacem domini* è formula precaretur, videt panem verè in Chriſti Corpus, & vinum in ſangvinem abijſſe. Parùm abfuit quin ſacro totus horrore perculſus, & conſilij anxius exclamaret. Sed ubi menti pax redijt, jam & fidem adhibere Sacramento,& de ſacrilegâ dubitatione ac temeritate dolere, ac veniam, ſimul & ſacirficij perficiendi gratiam poſtulare, perſanctéq; omnia optima polliceri. Vbi panis ac vini ſpecies redière, ſacrificio conſummato,Monaſterium, Eiffflia ad nos advolat,Noſtri cujusdam pedibus advolvitur; & expoſitis conſcientiæ rationibus,

nibus; ac re narratâ, saniora edoctus, factus est in fide solidior, conscientiâ quoq; in multitudine pacis pulcherrimæ quiescente.

12. In Residentia Meppensi catechetici parvuli parvulæq;, quibus Angelorum pane per ætatem vesci jam licet, Dominicâ in Albis ex totâ Vrbe collecti, è majore templo ad nostrum concinnâ supplicatione deducti, sacro solenni longo ordine interfuère: ac demum ad cælestis hujus ferculi annonam tum primùm accipiendam, sacræ mensæ tantâ cum religione atq; modestiâ accubuère, ut parentibus uberes ac solatiorum plenas lachrymas, alijs verò suavissimam admirationem concitârint.

13. In Missione Osnaburgensi, cùm ipso Nascẽtis Christi die, Noster in sacrificio adorandam hostiam elevaret, ac pio more in Synodo imperato, populus ære campano ad adorandum commoneretur, alijs eo signo audito capita nudantibus, & ei, qui in templo monstrabatur ac adorabatur, Christo reverentiam habentibus, unus præfractæ impudentiæ hæreticus, explosâ illâ Sociorum pietate, multa contra Christum in Eucharistia latentem intemperanter effudit. Sed hic idem eodem die statim ab auditâ Ministri hæretici concione letali morbo correptus, neq; mentis satis compos teme-

ritatis

ritatis pœnas dedit. Adfuit minister ad ægrum excitus, at cùm se frustrà esse adverteret, abitum jam parabat, cùm æger illũ allocutus, exclamat: Abis verò tu scilicet quãdo adest me ad inferos rapturus dæmon, ut me istic velut panis ille torretur (& monstrabat panem igni admotum) torreat æternis ignibus in æternum. Neq; his deinceps meliora locutus est, usq; dum post dies aliquot blasphemam animã exhalavit.

§. 3. *De reliquijs, & cera agni benedicti.*

14. Judæus acri ingenio ac probâ indole adolescens, Treviris Nostrorum ope domi nostræ adjutus; ne desertus ope omni ad perfidiam, Patris opulenti invitatu, reverteret. Is ad fidem Catholicam eâ se ratione permoveri cœptum dixit, quòd saga & dæmones fassi sint, se Catholicum, imò religiosum hujus fratrem, è lecto nullis viribus extrahere, ut eum Patri Pragæ sisterent, potuisse, etiam capillis apprehensis, & omni alio conatu adhibito; quòd nempe Catholicorum amuletorum quidpiam collo gestaret, quorum vis nullâ vi dæmonum potuerit superari. Et verò defluente capillo se totum quassatum sensit religiosus ille Neophytus: at hic ubi germani sui negocium, & circa eum conjuratam cum dæmonibus vetulam nihil potuisse intellexit,

saga-

sagaciter id quod est odoratus, ajebat religionem illam DEO placere non posse, quæ dæmonem habeat adjutorem; illam verò illi placere, quæ DEUM habeat propugnatorem, etiam in tenuibus amuletis ac lipsanis.

15. Monasterij Eifliæ ceream cælestis agni imaginem, cujus laudes in catechesi audierat, Parens ægro repentè ac desperatæ jam salutis filiolo utprimùm appendit, mutatum extemplò, ac magnâ cùm aliorum admiratione, tum suo gaudio convalescentem vidit.

16. Bonnæ adolescens à Parente ad Nostrum adductus opportunis remedijs, atq; consilijs à larvarum seu terriculamentis seu blandimentis est in securitatem assertus; utpote quem à Magistro suo Sartore diris non rarò devotum, eóq; furenter mæstum, procerus dæmon æthiops ad silvam usq; foras semel atq; iterùm fuerat comitatus, facilè illum circumventurus, nisi Pater maturrimè providisset.

In Missione Blanckenbergensi Prætoris cujusdam equus ab occulto quopiam insessore, tam noctu quàm interdiu, in stabulo agitatus parietes inquietis calcibus impetebat. Sacerdos noster consultus, jussit ceram benedictam inquieti equi jubis illigari. quo facto fractæ mali genij vires &

& equus manſvetudine priſtinâ conquievit.

§. 4. *Beatiſsima Virgo Mater; & Sodalitia.*

17. Coloniæ anguſta domi res fæminam usq; ad impias fidei deſerendæ cogitationes adduxerat, adnitentibus magnoperè heterodoxis. Itum eſt Mulhemium ad cathedram peſtilentiæ, adornabantur omnia, ut mox à concione in miniſtri manu infelicis transfugij deponeret Sacramentum. At fæminæ, cujus periculum agebatur, tacitis ſuſpirijs opem Matris miſericordiæ depoſcebat, precata, ne in puncto adeò arduo deſereretur. Adfuit benigna Mater periclitanti & ſupplici, ac illam tanto ſubitò horrore perfudit, ut ſe ſe extemplò quà data porta ruens in fugam daret, è concilio impiorum, & quantumvis per iter, quo Coloniam tendebat, admiſſæ flagitioſæ illius cogitationis ſcelere torqueretur, tanquam aliquid deſignaſſet, quod expiari non poſſet, ubi tamen ad nos accurrit, & virus omne vomuit, poſt ſalutares lachrymas gratias egit Virgini, cujus manu à præcipitio illo fuerat conſervata.

18. Duſſeldorpij in gymnaſij aditu, atq; in plerisq; claſsibus propoſita eſt imago Beatiſſimæ

tissimæ Virginis Matris; coram qua flexo genu salutem dicunt adolescentes, ac sua studia ordiuntur & claudunt. In Meppensi quoq; Residentia ex æde nostra ad gymnasium celebris utriusq; sexûs Sodalium supplicatio interfuit dedicationi statuæ Magnæ Matris Deiparæ, cùm illa ipso Visitationis die in Scholarum fronte, serenato repentè cælo, cantato ad claudendam celebritatem Ambrosiano hymno, collocaretur.

19. Novesij decenni puero ad mortis usq; periculum ægritudinis vi adducto, & pio, admota est, nostro adnitente, statua Deiparæ Asprícollensis: & vis morbi mox remissa gratulantium & admirantium lætitiam auxit, quando puer planè convaluit. Aliàs Fogenses lapilli quotidianis febribus præsens remedium attulère.

20. Fæcundus in Scholis ac Sodalitijs laboris fructus fuit, quando ad variorum institutorum sequelam, nunc duo, nunc tres, nunc plures, abière. Quos inter è Coloniensi mechanicorum adolescentum Sodalitio fuère omninò septendecim. Valebit ad posteros mortis memoriæ commendandæ documentum Sodalis Civis Coloniæ, qui pio ingenio funebrem sibi loculum jam antea fabrefactum pijs eorum cælitum, quos in Sodalitate quotmensibus accipie-

bat, iconibus intus ac foris undequaq; vestivit; ut nempè supremum suum lectulum plusquàm sexaginta fortibus custodiendum daret. Alius ibidem ante mortem, 30. circiter annorum spacio collecta per menses singulos Sanctorum nomina, & patrocinia nobili cumulo produxit, omnia secum tumulo ad eliciendos obviam clienti è cœlo notos Præsides inferenda, non sinè sensu fiduciæ, ac laude diligentiæ admirandæ.

21. Ibidem non postremi momenti lites à fori strepitu in privato Sodalitatis tribunali feliciter compositæ, ac sopitæ. Sodalis item adolescens Parisijs Coloniam, per densa & incerta nivium ac silvarum, bellum fugitans, cùm ad viam se explicare nesciret, ad vota precesq; in DEI param, Sodalium tutelam, versus, tertio demum die geminos viæ indices lupos conspicatus, eorúmq; fidenter secutus vestigia, incolumis ad suos de filio solicitos, & pro absente preces ac vota fundentes, revertit.

22. Sartor Sodalis iter ingressurus literas à Sodalitate, ac Præside pro more acceperat. Hic ex Anglia redux, cùm à Batavis, Hispanis, Gallis, pro exploratore haberetur, glande plumbeâ vel fune infami erat vitam finiturus

rus, nisi repertæ Sodalitatis literæ miserum protexissent.

23. Marcodurana Civium Sodalitas, magno Vrbis & solatio, & exemplo constituit, ut quoties è Sodalium numero quispiam Sacramenta extrema perciperet, vicini commoniti deducerent Sacerdotem supplicabundi usq; ad domum decumbentis. Idem imitatæ matronæ jam exemplum latiùs extendêre. Vtq; faces eam in rem suppeterent, Matrona nobilis constituto ære perpetuo providenter id stabilivit.

24. In Juliacensi Residentiâ, per industriam præclarum huic operæ pretium promittentem, Sodalitas Catechetica hoc anno inducta; cui, paucis exceptis, tota propè Civitas nomen dedit. Proposito indulgentiarum thesauro quot mensibus unâ Dominicâ invitantur. Et Catechismo finito, Litaniisq; cantatis datur omnibus benedictio Sanctissimi Sacramenti.

§. 5. *Erga cœlites Religio.*

25. Monasterij Eifsliæ S. Donati Mart: ex Vrbe Collegio nostro donati hoc primùm anno prid. Cal. Julij cœpta solennitas, ipsius Ducis invitatu fuit celebrior. Præter ea, quæ aliàs in simili celebritate narra-

ta sunt,præmissa vexillatio,& lecta armatorum manus appulso corpori obviam se effudit. A Sacerdotio etiam SS. Chrysanthi, & Dariæ MM. corpora, sancto quasi hospiti venienti obviam deportata. Ipsum sacrum corpus duo Collegiorum Rectores gestabant. Inspectum, ne quid subesset erroris, sacrum corpus à viris juris sapientissimis; & omnibus ritè approbatis lectæ palàm à Societ: JESV Patre Vicario Generali ex urbe datæ literæ doni testes; aliæ item ejusdem exempli in cedrina ipsa lipsanorum arca repertæ. Lectum diploma Eminentissimi Card. Ginesti, Vicarij, cum sigillo; cui simile sacræ tumbæ utrinq; visebatur impressum. Triduo stetit pompa solennior, cujus irrisor hæreticus, è lato ponte in præterfluentem lapsus, & ipse irrisus est.

26. Non pigebit hìc longiorem fortasse, at fortè placituram, ejusdem Collegij ferè verbis narrationem attexere; ne si attenuatè, presséq; narretur, ex ipsâ re aliquid deteratur. Pater quidam Euskirchium ablegatus (ad quam Vrbem aliàs de æstate catecheseos habendæ gratiâ excurrebat) ut supplicationem inde in occursúm novi sancti deduceret, præsentissimum vitæ discrimen Divi illius benigno patrocinio, prudentum judicio mirabiliter evasit. Cele-

brabat

brabàt ipſo translationis reliquiarum die, primâ luce,ſub tertiam circiter matutinam, primus omnium de S. Donato in templo Euskirchenſi ad aram B. Virginis, quando tempore ſacri crebra audita tonitrua, ictúsq; fulminis ad elevationem, & communioné horrendùm vibrati, ſacrâ hoſtiâ luculento igne interlucente. Subijt Patrem cogitatio pro ſe,aliisq; implorandi auxilium S.Donati, eúmq; in tonitruum Patronum imprimis deligendi. Quo ritè præſtito, ſacrum proſequitur: ad cujus finem dum ſe verteret benedicturus populo, fulmine graviſsimo à dextrâ pectoris, velut globo tormenti bellici, impetitus, humi ſemianimis proſternitur, S.Donato M. in ſuprema vota vocato. Templum quantum quantum plurimo igne coruſcum, excuſſa è ſublimi ſaxa grandia, Aræ ſolidus lapis tactus, tela linea ſub ſtatua Virginis,& circa calicem mappæ altaris incenſæ, hinc inde varij concuſſione diſiecti, vel terrore perculſi. In ipſo verò, licet fulmen aduſſerit ex parte, perforarítq; ſacras veſtes; penetrârit etiam togam, & interiora; vulnerârit pectus cruentâ plagâ ad modum balthei præcordia latè cingente; deniq; duobus à tergo, quinq; ad pedes in veſte relictis foraminibus eruperit rectâ lineâ per ipſum talum ad infimam plan-

plantam ſiniſtri pedis, inuſtâ ſtriâ ſangvineâ; uti & in dextri cubiti internodio orbiculari impreſsâ notâ veluti flavâ à ſulphure, in medio autem quaſi à pulvere pyrio, nigrâ; vitam tamen ſervavit: cùm ſive humi proſtratus, ſive ab alijs erectus, & poſt depoſitas ſacras veſtes in genua compoſitus auxiliari Sancto & ſupplicaret ipſe, & alios lachrymantes, atq; attonitos, ut idem facerent, rogaret, ſeq; igne inexplicabili toto pectore uri perſentiſceret. Graviſſimâ diffidentiæ cogitatione tentatus, altiùs inclamabat: S. Donate Martyr, ora pro me! Non diffido! Tum cœpit paulatim reſpirare ab æſtu, odore teterrimo è pectore ac veſtibus erumpente. Pedes à talis deorſum videbantur totis oſsibus conſumpti, vel ceræ inſtar molles, nec officio idonei, usq; dum horæ ferè ſpacio præterlapſo fuſis ad S. Donatum precibus, votiſq; ſuſceptis ita firmatæ ſunt baſes, ut nullo admiſſo balſamo vel ungvento, & jejunus Pater, Euskirchio ad Collegium pedes trium ferè horarum intervallo ſub meridiem ſit reverſus. Domi per octo dies pertinax illum ſitis, & incredibilis in pectore ſemper æſtuante ardor exercuit: quem ille lacte benedicto, & Cruce Caravacenſi, & Cranij S. Donati contactu luſtrato, ac epoto extemplò reſtinxit,

ſudore

ſudore blando ſed plurimo erumpente. Atq; ita Sancto Donato vitam & valetudinem acceptam refert, non paucis eundem Sanctum contra tempeſtates ac fulmina diligentibus in Patronum.

27. Coloniæ quoq; novus Vrbi, ac noſtro imprimis templo S. Geroldus M. Patronus acceſsit, cujus bonam mandibulæ partem cum dentibus aliquot nobis charum pignus Vrbs Cremona ſubmiſit. Contra pervagatam febrim contagioni proximam ſæpiùs amuleti vice puerperæ, ac plurimis profuit ejusdem imago, cum ſuccincto è vitâ Sancti elogio typis dato, & ſacri dentis reliquijs contacto. Sed & Maximilianus Henricus Archiepiſcopus, ac elector, acutiſſimam febrim à ſe Sancti hujus beneficentiâ depulſam teſtatus eſt cereo 50. pondo in Sancti honorem ardente, cum hac anni hujus epigraphe: AnathEMA sanCtI geroLDI.

De S. P. Ignatio.

28. Ad Ignatiani libelli normam hoc anno ſpiritum exercuère triginta novem externi. Amat illum ætas catechetica, ut Magiſtrum. De qua illud hoc anno inſigne, quòd in templo noſtro Treviris puellæ plures, quàm quadraginta, in præclara populi avidè

vidè affluentis coronâ integrum catechiſmum absq; ullâ memoriæ hæſitatione perorârint, ſolenni præmiorum à parentibus donatorum diſtributione ſecutâ. Tot ſunt autem etiam in hac Provincia, quibus adfuit conſveta S. P. Ignatij ad opem præſentaneam promptitudo, ut nec literæ numerum eorum certum prodant, quem lubens darem; & ego, ne in ſingulis eadem repetam, nauſeæ, cenſeam ſilentio conſulendum. Ne omnia prætercam, duo ſeligo. Bonnæ conjugi octavum jam diem parturienti, & conclamatæ, maritus S. P. Ignatij hierothêcam porrexit ad oſculum, & illa ſana prolem optimè valentem peperit. Ibidem alia ſexto graviditatis menſe per ſcalas præceps ex alto inter vaſa deciderat, utero infeliciter colliſo: & non multo poſt ad partum urgebatur. Mortem cum partu expectanti admotæ S. P. Ignatij reliquiæ: & puerpera, nuncupato voto, ſuprà ſpem omnium, ſana immaturum quidem & colliſum, vivum tamen infantem enixa eſt, lætâ rei admirabilis famâ veterem erga ſanctum fiduciam confirmante.

§. 6. *Syllabus defunctorum.*

29. Coloniæ 15. Martij felici potitum æternitate ſperamus P. JOANNEM WESTEN-

STINBERG, & reliquâ virtute, & palmari erga divinam voluntatem, ac DEI Matris cultum pietate singularem, eóq; potissimùm lætum in vitæ limine, quòd illud in Societate attigisset.

Ibid. 20. Aug JOANNEM IMICHAVS Coad: febris abstulit apud ægros hausta, quos Patribus comes adjunctus inviserat. quod sanè officij sancti genus, ad nostrorum externorúmq solatium & propè miraculum, ab eo promptè præstitum affirmant literæ; cùm gestiente in ea re spiritûs gaudio exiliret, paratus in illo charitatis obedientiæq; obsequio, quicquid morborum aut mortis se daret, cupidè exhaurire.

30. Ibid. 21. Oct. defunctus est FRANCISCVS PEELE Co. insignis aurifaber, & hilarè promptus ad omnia, hilaritate tamen ad mortis memoriam castigatâ, unde semper illi mortualis calvaria in conclavi erat, quâ pro speculo utebatur. In Decembri P. JOANNES AVERDVRVS perpetuus ferè Coloniæ Minister, ministerium suum implevit: erga hospites, ut servus; erga ægrotos, ut Mater; erga omnes liberaliter candidus. Ipso immaculatæ conceptionis Deip. die sacro interfuit, quod sibi supremum fore prædixit; eodemq; die ad eam, quam impensè per omnem vitam coluerat, Matrem discessit.

31.

31. Obiere diem ultimum etiam è Scholasticâ nostrâ juventute nonnulli, Coloniæ 17. Apr. THEODORVS CRONENDORFF; Confluentiæ 8. Dec. M. THEODORVS DRAPER; ex Aquisgranensibus 23. Octobris M. MICHAEL VERHORST, in prima herbescentis ætatis ac virtutis viridate ac spe succisi; quorum elogium, tenera erga DEI Matrem, & singulos legum apices, ac potissimùm erga modestiam, religio & amor est.

32. Vixit 19. Julij Embricæ P. JOANNES BERNINGHOFF, paupertatis maximè ac obedientiæ virtute singularis. Dusseldorpij autem P. JACOBVS STVCKENIVS 4. vot: Prof: fidelis ac peritus morientium custos & Pater. Conciones illi sinè spiritu vanitatis, & efficaces morum magistræ, pretiosum & constans silentium; quotidiana conscientiæ exomologesis, colloquia divinæ Virginis Matris, & Angeli nostri cultum scitè persvadentia: profunda, & lachrymis testata oratio, atq; humilitas: mors dolorum & amoris divini plena, quem ille amorem ad timoris cotem identidem acuebat. Vnde ab invisentibus petebat sibi, à DEO puram contritionem & solidam impetrari, totus tam suo conatu, quàm ductu præeuntium Sociorum in perquisitis amoris DEI aspirationibus ad mortem usq; 2. Maij obitam pretiosè intentus.

33.

33. Sigenæ P. GVILELMVS HOLTHAVSEN à ſacro eo ipſo die celebrato 22. Octobris inexpectatâ morte abreptus; zeli, atq; laborum exhauſtorum varietate & gravitate, patientiâ etiam à latronibus per hebdómades plures tentatâ memorabilis. Inſtar gladij Delphici tam aptus quàm promptus ad omnia, quò quò à manu obedientiæ verſaretur.

34. Padebornæ Paſchalibus ferijs æternitatem adijt P. JOANNES STEINWEG, humaniora, Philoſophiam, Theologiámq; Profeſſus, & Coll. Trevirenſis Rector. Hic frugifero planè conatu nobiles animi dotes exercuit; multâ erga Deiparam ac Cælites, erga Superiores item reverentiâ, erga reliquos charitate, circa ſe deſpicientiâ prædicabilis.

35. Ibid. P. GODEFRIDVS ROSE 4. vota Prof. magnum apud Noſtros, & Sodales ſui deſiderium reliquit moriens 22. Maij.

36. Monaſterij P. JOANNES ALTING, 26. Aprilis obijt. 4. vota Prof. per plura rerum discrimina victor Anno 1608. Societati adſcriptus. Elucebat in illo, cùm Rector noſtris præeſſet, ut reliqua taceamus, explicata, lubens & benevolentiſſima quædam liberalitas; ne difficillimæ quidem tempeſtatis anguſtijs intercluſa.

AN-

ANNVÆ RHENI SVPERIORIS. ANNI M. DC.LII.

1. TEnuêre Superioris Rheni. Provinciam hoc anno 1652. Patres 161. universè verò unà cum his Socij 278. Illustrissimus Fuldensium Abbas, & Princeps hoc anno firmatâ in securuturas ætates beneficentiâ Scholas Fuldenses adjuncto Logicæ Professore voluit auctiores; id quod ajunt nonnullos porrecto libello supplici avertere, vel intervertere machinatos.

§. 1. *Fidem Catholicam hoc anno amplexi.*

2. Ecclesiæ Catholicæ albo recenter adscripti sunt Herbipoli 57. Heiligenstadij 68. omnes passim 242, quos inter Iudæi tres; & ij qui sequuntur. Moguntiæ gravem jam ætate virum caduca valetudo in lectum abjecerat. Hunc noster hactenus per annos facilè triginta obstinatè pervicacem, & nec uxoris Catholicæ precibus, nec aliorum exemplis, monitisve quicquam dantem, quasi aliud agens invisit, ad preces, & contritionem hortatur, & contritionis formulam idoneis verbis ad SS. TRINITATIS personas directam recitat. quâ ille toto corde emol-

litus

litus in suspiria erupit & lachrymas: & deniq; in fidem sanctam pronus, instructus, Ecclesiæ per Sacramenta, & demum æternitati, authoratus, plaudente Vrbe, Catholicus in pace dimissus est ad quietem æternam.

3. Herbipoli pertinax hæreticus, lecto affixus, eo die, quem sibi supremum credebat diluxisse, persanctè recepit, se, si ab hoc vitæ discrimine liceret evadere, ad Catholicos transiturum. Dixit, & repente faciliùs, intra biduum integrè habuit; ac promissi tenax, fidem sanam ac sanantem amplexus est.

4. Heiligenstadio ad ægram hæreticam accitus noster, ubi ultrò volentem Catholicâ doctrinâ, deinde Sacramentis instruxit, illa indè nullum verbum ampliùs elocuta, brevi, arcano divinæ benignitatis Sacramento, extincta est.

§. 2. *Sacramenta.*

5. Sacræ mensæ accumbentium numerahoc anno circiter 157. millia: eorum verò qui novo examine annos præteritos prolixâ instituta exomologesi repetivêre, 300. Vnusquispiam Herbipoli unâ concione auditâ quâ noster divinæ misericordiæ infinitatem explicabat, accessit, & fassus est se ob

latentem sceleris cujusdam vomicam, cùm illam nec pati nec aperire posset, sibi mortem voluntariam consciire voluisse idq; hausto veneno tentâsse. Verùm veneni vim desperato suo consilio minimè respondisse. Nunc ergò se ad laudatam illam misericordiam accurrisse. Dixit, & se à peccatorum veneno expedivit.

6. Ibidem divina mysteria in quodam in libertatem à dæmonis manibus asserendo vim præsentaneam ostendère. Dæmon in tetro carcere à 25. captivis, tabescentibúsq; militibus invocatus atro vultu præcelsus, supercilio & prægrandibus pedum ac manuum unguibus formidandus; Dabo, ajebat voce horrendâ quam quæritis, libertatem, si stipulatione fideli pollicebimini vos per anni spatium sacra nulla adituros; & meos fore, quibus quibus interea vitâ fungi contigerit. Astipulantibus illis, ex occa rusticâ occatorium e ferro dentem muro perfodiendo dedit. Magno id ac redeunte in orbem labore factum: & illi se fune de lacernis texto è præaltâ turri demisère, radice quoq; à stipulatore porrectâ quâ hostium oculis non paterent. Tum in quadrivij centro circulo conclusos interrogavit, num pactionem rescissam vellent; & non rescindentes dimisit. Eorum unus Herbipoli o-

peram

peram ſuam aurigæ addixit, præſentem ſemper ſibi dæmonem ſignis non dubijs perſentiſcens, & animi ſemper anxius, ac ſomni expers, ad jurandum verò atq; blaſphema verba inſaturabiliter pronus; & equis ipſis plumbeo quodam corporis pondere, quo ſe gravari magnopere ſentiebat, gravis, atq; ſævitiâ immodicus. Quocirca miſeri equi ſub hoc dæmonis mancipio ſtrigoſi ſemper macieq; confecti ſudore perpetuo anhelebant, etiam dum currum onere alio vacuum vectarent. Fuit, cùm auriga nocte quadam hunc famulum in equos atrociter furentem malè feriatum aliquid in illo ſuſpectans, ecquid eſſet, interrogavit. A DEO id fuit, quod homo deſperatus, cui venienti mortem machinabatur, jam perconτanti totum, id quod erat, aperuerit. Inſtare nempe jam terminum pactionis, ac ſe vehementiùs ab illo genio infeſtari. Tum eâ quâ poterat lenitate miſerum perpulit, ut ſcelus in Sacramento pœnitentiæ aperiret. Paruit ille, ac radicem pacti teſſeram juſſus, in Mœnum dejecit: quæ, licet parvula, tamen fragore magno aquas turbavit quaſi prægrandis lapis ex alto in flumē decidiſſet. Ipſe verò è veſtigio ita ab infelici genio toto corpore eſt concuſſus, ut per triduum largo ſangvine effuſo animam quoq; putaretur

cum ſangvine ejecturus. Sed Sacerdotis demum noſtri ſedulâ curâ, rerum ſacrarum, imprimísq; Sacramentorum pœnitentiæ ac Evchariſtiæ uſum urgente, ita ſibi eſt reſtitutus, ut ſe dæmonis mancipium fuiſſe doleat, & non eſſe gaudeat; & ad conſilia facilis, magno quieti animi ſolatio neglecta ſacra nunc adeat, ut præterita damna, qua poteſt, reſarciat.

7. Moguntiæ, ac Seleſtadij novum, & amœnum ſpectaculum parvulorum ad pœnitentiam, & Angelicum panem primùm admiſſorum, ſpectatorem populum ſvaviſſimè recreavit: qui ferè fructus eſt catechiſmi, qui traditus eſt locis varijs facilè quinquagenis, Moguntinis tironibus ad duodeviginti loca ultrà citráq; Rhenum excurrentibus, & quâ verbo, quâ decorâ modeſtæ frontis compoſitione multæ meſſis ubertate felicibus. Atq; illud eſt potiſſimum adsrudes animos divinis myſterijs frequentiùs imbuendos inſtrumentum, quòd obſervatu planè dignâ hujus Provinciæ conſvetudine ſit receptum, ut vix ullum noſtrorum domicilium adeò ſit exile, unde plura, eáq; palmaria & quæſtuoſa lucra longè ac latè non emanârint, rerum, quæ dicuntur & aguntur, ſcopo ſemper ad Sacramentorum frequentiam perſvadendam intento.

8. Fæminæ veterum conſcientiâ delictorum, & horrendis dæmonis peccata per exaggerationem omnem objectantis, ac extrema funeſtáq; ſvadentis inſultibus agitatæ, abjectis ultrò quærendæ mortis intemperijs, per Novitij cujuſdam verba illuxit DEVS. Cùm enim illum de admirabili Evchariſtiæ vi contra dæmonis turbamenta dicentem audiſſet, illum domum rediturum in via ſtatuit opperiri. Vbi ad venientium tironum pedes totis genibus, & manibus in cœlum ſupplex, quid à conſcientiâ, quid à dæmone pateretur aperuit; & Sacramenta ſvadentium ſecuta conſilium, ac deinde ut in S. Joſephi honorem per novem dies quotidie novies orationem Dominicam & Angelicam Salutationem pronunciaret perſvaſa, comprecantibus pro afflictâ etiam Novitijs, ſe tandem ſenſit quieti ſanctiſſimæ atq; pulcherrimæ reſtitutam.

9. Huic inter Sacramenta perſanctè crebriùs adeunda educationi, ac huic pani Virginum debere ſe agnoſcit nuperam ſuam gloriam Aſchaffenburgenſis Virgo, quæ ad Noſtrum conſcientiæ ſuæ ductorem anhela nuper accurrit, & quid eſſet conſilij capiendum contra impudicos immundi ſpiritus emiſſarios petivit. Nam ſe à propudioſo id genus lenone ad ſcelus expetitam, cùm

ille domi ſolam reperiſſet. Varia verborum, & munerum lenocinia obtuliſſe, atq; adeò in collum catenam etiam auream injeciſſe. At ſibi ea, quæ jam inde à ſuæ rudimentis infantiæ à Noſtris audierat, occurriſſe, ideóq; ſe domo in viciniam, ut blandimenta & vim evaderet, fugâ proripuiſſe.

10. Hagenoam ad Noſtros integri militum manipuli ſe ſe ad Sacramenta contulère ad illa deinceps crebriùs uſurpanda hoc terrore compulſi. Militem turbatiore animo foris inambulantem ad commilitium invitavit, & adſcivit nigro equo vectus, armatus, & prolixè barbatus dæmon. Perſvaſum, ad equum admiſit. Ajebat miles, tum ſe à mentis poteſtate alienum, quò vel quà raperetur, ignorâſſe. Tandem ſibi reſtitutus, rogat: Ecquò tandem tam difficili equitatione ſe raptet potiùs, quàm vehat? cúmq; ille quò vellet ſe ducturum diceret, neq; tamen minore furore miſerum per vepreta, & avia, inviáq; raptaret, cœpit iſte id quod erat odorari, & ad Crucem proximam fortè obviam, ſublatâ voce JESVS MARIA exclamavit, equo ſtatim ac ductore à conſpectu dilapſis. Tum hic inter multam noctem exterreri metu, & pro conſilio roſarium capere, ac luminis cujuſpiam conſpe-

cti

cti ductu ad pagum iter intendere: unde à rustico ad suos perductus est: ubi Nostris evocatis rem pertexuit, & horridum quiddam spirante vultûs pallore, perfossam auriculam ostendit, neq; gravatè, ut contra id genus terriculamenta Sacramentorum asylum capesseret, est persvasus, atq; à trepidatione quievit; commilitibus quoq; rei admirabilitate timoréq; perculsis, & jam ad sacra mysteria confertim Hagenoam currentibus.

§. 3. *Sanctissima V. Deipara.*

11. Herbipoli audierat ancilla Nostrum illustre quoddam MARIANÆ erga suos providentiæ ac benignitatis exemplum narrantem, & menti probè impresserat, illam indeploratis quantumvis rebus suis clientibus non deesse. Dixit postea se id luculenter expertam, quando messo gramine, quod dorso gestabat, & ad interquiescendum deponere parabat, onere prægravante detracta in fossam aquæ plenam supino casu præceps, aquis & suo pondere implicata, exempli auditi memor, voto ad B. V. facto, se statim à vinculis expeditam, sursum emersisse advertit, ac implorato Sacerdotis fortè transeuntis auxilio, accitis ab illo alijs per demissas trabes & funes incolumis est extra-

cta, & cereos, promissum Virgini Deiparæ anathema, tulit sospes.

12. Hagenoënsis Consul ait, se voto ad vallem nostram MARIANAM nuncupato, filiæ per morbum epilepticum usu manuum ac pedum destitutæ, sospitatem impetrâsse. Ibidem fæmina filiam prius valentem vidit, quàm votum impleverit. Puella Ringavensis nostræ Deiparæ beneficio à morbo desperato tabida, vigorem ac vires recepit. Nostri svasu, instituta à Daslandensibus ad BV. supplicatio, illud obtinuit, ut in ipso templi limine nuncius, & literæ à Palatino adfuerint, quæ illis id quod à 30. jam annis petebant, magni momenti negotium, tandem concedebant, tanto majore omnium exultatione, atq; adeò acclamatione coortâ, quantò major impetrandi necessitas rei per tot annos & impensas petitæ, tâmq; damnosâ repulsâ negatæ liquidò ab omnibus cernebatur.

13. Badenæ in templo nostro Sacramentis refectus quidam, factâ voti sponsione ad BV. Lauretanam, acerbum cruris ulcus confestim fluere, seq; itineri paulò post idoneum miratus est, & lætatus. Ejusdem voti religione se obstrinxit opifex tiro, in Saxoniâ ferè fide Orthodoxâ exutus, & à rusticis miserè spoliatus, & vulneribus onератus.

ratus.

ratus. Atq; huic adſcribere ſe dixit noſtro, quod vivus evaſiſſet. Ajunt ad MARIAnam noſtram vallem beneficiorum famâ excitos etiam hæreticos advolaſſe.

14. Illud ad exemplum conſtantiæ faciet, quod Fuldæ nobili adoleſcenti accidit. Is jam cubitum conceſſerat, ſomnum etiam auſpicatus, cùm boni Angeli fortè inſtinctu excitatus, & neglecti per inconſiderantiam eo die Roſarij MARIANI memor, ſtrato extemplò exilijt, ac ſe Roſario perlegendo accinxit. Intereà Superior lecti tabula, ſeu cœlum ligneum, magno impetu ac pondere in lectum corruit, certo juvenem exitio oppreſſura, niſi pium erga DEI Matrem conſtanti quotidie penſo colendam ſtudiũ illum è lectulo evocatum diſcrimini ſubduxiſſet.

§. 4. *Sodales.*

15. Scholaſticorum Sodalitia Noſtri adminiſtravêre 14. aliorum 19. Spiræ Sodalium mentes ſua ut bona nôrint juvenis unius caſu exacuit DEVS. Is ob nuptias heterodoxæ viduæ promiſſas, fidem & Virginem cæli Reginam deſertum ibat, jámq; ad cætum Sodalium infrequens & frigidus ventitabat, prodente ſe veneno, quod impuro pectore altè combiberat, ſurdus ad mo-

nita

nita. At breve tempus interfluxit, cùm vegetus ille flos corporis repentinâ invaletudine prostratus intra tres non omninò dies in mortem funestam attonitâ in DEI pœnam omnium admiratione contabuit.

16. Heiligenstadio Sodalis Angelicus puer innocens, dum ægram in pago Matrem inviseret, nec aliam illi à se opem afferri posse perspiceret, paratum se obtulit bono Deo ad mortem pro Matris vitâ oppetendam, & exomologesi factâ Matrem divinæ providentiæ impensiùs commendavit. Et videtur exauditus: nam redux ad studia, subitâ morte extinctus est, & magno Sodalium studio honorificè tumulatus.

§. 5. *De S.P. Ignatio.*

17. Et spiritum exercitijs, & corpora plurium manifestis beneficijs recreavit etiam hoc anno S. Fundator noster. Mirum præ alijs est illud Herbipoli; ubi votum ad Ignatium pro salute Matris, ac prolis, tantisper dum baptizaretur, vitâ, suadenti Nostro, Mater puerpera lubens annuit. At post multa, expirâsse jam fœtum obstetrices, puerpera, & medici pronunciabant. Membratim ergo ut extrahatur decernitur. Sed primùm nonnisi tenera infantis caro frustatim decerpi & extrahi potuit, magnâ dein-

de

de plurium connitentium vi totum extra-ctum corpusculum, ſed laceratum miſerri-mè atq; convulſum, eóq; ne Matris, alio-rúmq; oculos offenderet, humi in angulum abjectum eſt, intentiore curâ in ſervandam puerperæ vitam accuratè conversâ. Con-jectis fortè deinde in ſaucium illud carnis fruſtum oculis, manifeſta vitæ ſigna depre-hendunt; & præſens Medicus infantem ſa-cro fonte luſtravit. Vixit infans ferè ho-ras ſeptem. Quare ad Sacellum quoq; dela-tus eſt, & omnia, quæ in baptiſmo erant o-miſſa, ritè ſuppleta ſunt. Mirum id omni-bus viſum, quod Mater ſibi probè præſens, in laniena illâ nec animo linqui, nec doloris quicquam ſentire ſit viſa, cùm infans avelle-retur. Magna in omnes admiratio, & gliſ-cente voti à puerperá facti famâ, ingens er-ga Sanctum fiducia concepta eſt, atq; admi-rabilis in Sanctis ſuis divinæ dexteræ beni-gnitas lætis vocibus collaudata; puerpera ve-rò haud ita multò poſt valuit, & vota exol-vit.

18. Aſchaffenburgi una quædam voto adſtricta, ut quotannis die S. Ignatij ſacrâ ſynaxim adiret, hac vice nihil referre rata, ſi in proximè ſequentem alterius ordinis ſo-lennitatem differret, ait ſe mox vindices ne-gligentiæ dolores perſenſiſſe, ac fidelitatis

accu-

accurationem deinceps majorem se habituram promisit. Tener etiam ex Herbipolensibus Scholis parvulus, nescio quibus terroribus quatiebatur & tabescebat: Acceptis à Patre conscientiæ suæ arbitro S. P. Ignatij reliquijs terrores absistere, ac vires robúrq; corpusculo redire advertit.

§. 6. *Pravæ consvetudines extirpatæ.*

19. Videtur Rhenana hæc Superior Provincia eam, quam à S. P. Nostro particularis examinis rationem accepimus, quasi populatim ad Vrbes & populos extendisse, tanquam si tota una Civitas unus quispiam homo foret, cui per Vrbicum quoddam examinis particularis studium opera esset circa vitium quodpiam profligandum intentiùs adhibenda. Quidam in exscindendo impurarum consvetudinum senticeto impensiùs laboravère: unde à pellicatu, & id genus laqueis explicati 150. Alijs laboris veluti scopus fuère odia cùm aliorum tum conjugum, in benevolentiam mollienda: & 30. dira id genus odia extincta sunt. Aschaffenburgi vir ætate, officio, prudentiâ primarius implacabili odio exarsisse in generum dicebatur. Is ad nostrum triclinium unà cum eo, quem obstinatè oderat, invitatus, prius in templo adfuit concioni,

ubi

ubi Evangelio materiam ſuggerente de o-dijs ex animo profligandis Noſtrum acriter dicentem audivit, animo factus jam mollior. Neq; priùs inde pedem extulit, quàm voti religione adjectâ decerneret, exemplo ſalubri, & publico, in ipſo triclinio ſub tempus prandij pacem cum genero amicitiámq; inire. Adfuit prior gener cum altero ejusdem ſoceri genero: tum & ſocer; qui, facto ſilentio, Noſtris, & hoſpitibus novæ rei expectatione ſuſpenſis, graviter & dolenter de pertinaci ſuo odio queſtus, id quod in templo audierat, animóq; conceperat magno verborum pondere ſuſpirans, lachrymánsq; narravit, & exaggeratâ illâ ſuâ rabie, ſe non mentis ignaviâ, ſed Chriſti, & unicæ ſuæ ſalutis amore veniam flagitare teſtatus, ad generi pedes in genua ſuppliciter provolutus, manantibus ubertim lachrymis, veniam petijt, dextram fidelis amicitiæ teſſeram porrexit, genero rubore ſuffuſo, & omnibus affatim annuente, Noſtris ad ſcenam illam raræ virtutis admiratione, ac laude proſequentibus, nonnullis etiam collachrymantibus.

Badenſium conciones, & catecheſes in jurandi, maledicendi, & ſaltandi libidine infringendâ ſudavêre. Alij ursêre jejunia, indulgentias alij, alij religioſiùs colendæ Virgi-

nis

nis Matris modum: Hagenoæ in conſervando Vrbis Catholicæ avito ardore antiquóq; decreto, quo nemo non Catholicus illâ Civitate donatur, cùm jam ſeu dolo, ſeu pecuniâ res vergere in pejus inciperet.

20. Conciones etiam ſelectis ad mores in theatrum datis hiſtorijs adjutæ. Eximios animorum motus fecit Herbipolenſium calva ad epulum à nepote Leontio politico invitata; quæ in oſſeâ mole ſe ſtitit, ſe ejus auum dixit, Deum, Beatos, inferos, pœnas, præmia, eáq; omnia æterna eſſe dixit, & impium nepotem ad æternitatem aſportavit.

§. 7. *Quædam de dæmone impoſtore.*

21. Præter ea, quæ de hoc argumento hic dedimus, Moguntiæ contra veteratoris inſidias pugnatum. Et vicit egregiè vidua quædam, reiq; ſeriem Noſtro Patri aperuit. Hanc mœrore ac ſolicitudine in orbitate ac egeſtate ſuâ à mariti obitu tabeſcentem, & in lecto ægram, holoſericâ primùm, tum militari veſte, tandem mariti ſpecie tectus adoritur. Jam illi antea bis dixerat, malle ſe perire, quàm illius opibus adjuvari. At ſperabatur mariti imagine faciliùs capienda. Ergo fictus ille maritus conjugi viduæ carpionem porrigit, nitidiore in lance, ut comedat,

medat, & aurum ſub lecto liberaliter effuſum monſtrat, ut capiat, læte deinceps lautéq; in quiete victura. Sed ſagax mulier impoſtoris illecebras advertit, & illum tertium fugatum, deſperare victoriam docuit, nec reverti.

22. Alius quoq; vicit ibidem feliciter. Adoleſcens is erat, qui ſolus ruri obambulans nefarij genij apparitionem diſcriminis adeò plenam ſenſit, ut à carnis illecebris præter modum increſcentibus propè ad flagitium usq; ſi adeſſet occaſio, irritatus, idq; non ſemel, ferè corruerit. Sic deluſum, & non admodùm advertentem iterúmq; pronum ad ſordes, & ſolum, foris dæmon adoritur. Nam fortè in ipſo æſtu en adſtat illi ex improviſo venuſtum in ſpecie fæminæ haud ignotæ ſpectrum paratum ad facinus: sed juvenis ad improviſam ſpeciem veluti fulgure conterritus in hæc ipſa verba exclamat: JESV bone! quid eſt hoc? Vnde tu huc ad me? Et omnis illa laſcivæ pulchritudinis umbra evanuit, ac juvenem ad confeſſarij conſilia paratiorem reliquit.

23. Ibidem cuidam callidus ille animarum hoſtis funem, ac mortem perſvaſerat. Et ibat ut periret. Verùm Noſter boni Angeli ductu illi fortè obvius illum ab enormi cogitatione avertit. Id quod cum duobus

Molshe-

Molshemij quoq; perfectum, duobus item alijs ab initâ cum inferno pactione abductis.

§. 8. *Elogia mortuorum.*

24. Primus è Spirensi Collegio 11. Junij repentino ablatus nobis est P. WILHELMVS CVLMAN, Electori Moguntino Joanni Surcardo à consilijs, olim; postea viduus, relictis honoribus Societatem amplexus, pietate, obedientiâ, paupertate, ac morum svavitate domi & foris præluxit. Eodem die Moguntiæ SEBASTIANVS KELLERMAN Coad. 4. dierum tiro, Sacramentis ritè procuratus, apprehensâ Crucifixi effigie, ac serto MARIANO, quos in Sodalitate didicerat rhythmos mirâ voluptate canens, & Regina cœli lætare ora pro nobis Deum, sæpiùs ingeminans morti svavi solutus est.

25. Herbipoli 5. Octob: sublatus est P. HENRICVS SILESIVS 4. vot. Prof. multa in illo industria Collegio Hagenoënsi, non paucas utilitates, eàsq; mansuras, peperit. Animus illi ad ardua nunquam defuit. In perferendis item acribus igneísq; ac intestinis doloribus fortitudo. Illud verò fortè singulare videri possit, quòd erga Superiores eâ semper tum reverentiâ, tum benevolentiâ fuerit, ut si quid forte invidiæ in illos redun-

redundare posse videret, id ille lubens in se ultrò inclinaret, derivaretq;.

26. P Joannem Hoffman Molshemij Calendis Novemb: hydrops longior suffocavit, morum, ac docendi, missionúmq; gratia eximiè commendatum.

ANNVÆ PROVINCIÆ SARDINIÆ. Anno M.DC.LII.

§. 1. *Novum Collegium.*

1. Dvcentos & quinq; Socios hoc anno pluribus gloriosè consatali aluit Sardiniæ Provincia: cui etiam superatis tandem difficultatibus novum Olienense Collegium accessit, Angelo Salis, perillustri viro fundatore; connitente quoq; variâ quâ primariorum quà plebejorum liberalitate. In primo ferè hujus Collegij seu flore, seu fructu, sunt multæ Virgines, quæ auditis pudicitiæ ac Sponsi Jesv laudibus, immortalem Sponsum præ oblatis connubijs elegerunt; non paucis etiam è Scholasticâ juventute religiosæ vitæ tirocinio transcriptis.

§. 2. *Concionum fructus.*

2. Concionum ardor multos ad Sacra-

menta & ritè, & frequenter obeunda ſuc-cendit. Fuit,quam judicij decretorij hor-renda deſcriptio ab obſcœno Sacrilegio ad lachrymas,ad ſancta vitæ melioris decreta, deniq; ad vovendam perpetuam caſtitatem adduxit. Aliæ caſtiſſimis lachrymis , ine-diâ,ſolitudine ,voto puritatis in occaſione matrimonij lautioris emiſſo teſtatur,quales in eadem concione animos, qualem æter-norum æſtimationem hauſerit,ac retinue-rit.

§. 3. *De Beatiſsima DEI Matre.*

3. Quædam, quæ fidelem confeſſarij du-ctum ſequitur, & altioribus ſemper immi-net virtutis eximiæ incrementis,dæmonem vidit habitu teterrimi Æthiopis, mille ver-borum aucupia,& illecebrarum tendiculas ſuæ pudicitiæ intervertendæ tendentem. Sed cùm propudium illud vehementiſſimè averſaretur,dæmon blandimenta in verbera convertit,ac fuſtibus malè habitam humi fuſam inter dolores reliquit, & abijt. Sed adfuit vultu ad amabilem hilaritatem com-poſito fideli clienti ſuæ Beatiſſima Virgo Mater,& jacentem,num ſe noſſet, interro-gat. Affirmantem,omni dolore abſterſo viribus exemplo reſtituit ; & admirabilibus ſolatijs perfuſam benignè monuit in hæc

verba :

verba: *Ne timeas immanem istam belluam. Ita DEO placet, ut te ad meritorum lucrum exerceat. Cum iterum adfuerit, totam te mihi committe: & ego te tuebor.* In Calaritano quoq; Seminario præcipuâ quadam religione curatur, ut colatur DEIpara: cujus ope dicuntur duo in Societatem asserti.

§ 4. *Nomina defunctorum.*

4. In Ecclesiensi Collegio vitam exuit 13. Kal: Novemb: P. ANTIOCHVS CORDA, præter paupertatis laudem insignem, verè animarum amator, præcipuè quas omni ope destitutas, non erat alius qui juvaret.

5. At huic Provinciæ gloriosarum annuarum loco fuit charitas, & ij qui morte felici animas in tantâ luis grassantis calamitate pro fratribus posuêre. E Collegio Calaritano hac viâ gloriæ tres Sacerdotes ad DEVM abiêre. P. AVGVSTINVS DESSI, P. ANDREAS ARCERI, P. ANTONIVS PITAO lue à militibus, quibus in peste ad animi & corporis commoda serviebant, haustâ perempti. In Collegio verò Alguerensi totum propè Collegium se dedit in victimam charitatis, quando eidem pestilentiæ sævienti, ut aliorum servarent animas, se se octodecim in holocaustum fortissimæ charitatis promptè objecêre, pulcherrimâ mor-

te defuncti. Mirus disciplinæ ardor inter hæc exempla exarsit, mira de Societatis fideli ac forti ad mortem usq; charitate toto Regno elogia spargebantur: cùm passimSocietas, *charitatis victima* vocaretur.

6. Romæ 2 Feb. P. JOANNES HIERONYMVS ANSALDVS hujus Provinciæ Præpositus, ita ut inSardinia non obscuris argumentis fore prædixerat, abijt ad comitium, ut spes optima est, Beatorum. Natus illustri domo anno 1598. 20. Jan: ad Societatem convolavit fugâ se è domo, cujus primogenitus erat, eripiens anno 1613. Toto tyrocinij tempore silentij violati nunquam reus, per multas dæmonis & carnis insidias semper victor, humanorum respectuum despicientiâ pro disciplinâ religiosâ retinendâ gloriosus, Deiparæ cultu tener ac solidus. Nec deest testis, cui suam erga Ansaldum liberalitatem ipsa DEIpara luculenter explicuit, ut alia quædam admirabilitatis & svavitatis plena tantisper ad ejus vitæ historiam remittamus. Rhetoricam, Philosophiam, Theologiam, sacras literas egregiè perdocuit. Variæ Novitiorum, & aliorum rectioni præpositus, voto se adstrinxit, nihil gubernationis admittere, nisi literis ad præpositum Generalem datis, quibus id excusaret. Id quod illi semel in declinando

Provin-

Provincialis munere cessit feliciter. Quædam vaticinationi similia, & cælestes favores omitto. Paupertatis custos mirus, per quinq; ipsos annos nihil exteriorum vestium mutavit: Castitatem ferè perpetuis turbamentis ab hoste domestico hostiliter oppugnatam, inclementiùs in carnem sæviens, & prolixè orans propugnavit: Obedientiam coluit difficilium avidam, & ad solos Magistratus imperatos restitantem.

ANNVÆ PROVINCIÆ TOLETANÆ. ANNI M. DC. LII.

§. I. *De Sacramentorum fructu.*

1. EArum, quæ Complutensi Collegio thesauri instar sunt, Evcharisticarum formarum, ut durat miraculum quòd incorruptæ persistant, ita religio latiùs increbrescit. Habètq; hoc, ut sic dicamus, tanquam ex opere operato, Complutense Collegium, ut à sacratissimis illis augustissimisq; pignoribus, impendiò sentiat in suis eximium singularis virtutis incitamentum, ac aviditatem, nihil tamen attenuatâ per religionem nimiam literariâ disciplinâ.

2. Placentiæ longâ plurium annorum intermissione neglectus Sacramentorum usus in carceres revocatus, cujus lenocinium est corpori quoq; liberaliter ijs diebus dari cœpta refectio.

3. Indidem sacra expeditio in 4. oppidis instituta, in qua & somni & reficiendi tempora sacer Sacramentorum, & concionum labor tota ferè exhausit, gloriando plane ad animorum salutem fructu, sive relectas confitentium cum lachrymis ætates, sive insignem rerum alienarum redditionem, sive crebram gratiæ reconcilationem attendas. Visáq; res est eò maturitatis pervenisse, ut quo collecta messis fertilitas in futura etiam tempora ferretur, firmè sustinendæ Sacramentorum quot hebdomadis frequentandorum consvetudini, in pios cœtus, ac velut pium symposium, plures coaluerint, ne relangvisse aut obtorpuisse doleamus quod emolumento tanto gaudióq; susceptum est.

4. Per hasce occasiones cùm alijs saluti fuit Sacramentorum nostris consilijs persvasorum armatura, tum illi quem infelix genius nunc tetræ aquilæ, nunc flammarum ardentium specie se se objectans ad consilia desperata parabat redigere; jámq; metu exangvem ac miserabili pallore per tot perturba-

turbationes atq; exanimationes exalbeſcentem procul redegerat exagitator truculentus, niſi ad Noſtrum accurrens, conſilijs paruiſſet, vexatore depulſo.

§. 2. *De B.V. ope in deſperatione.*

5. Ibidem locorum fœminam, egeſtate usq; ad conſilium moriendi redactam, deſperatio in præcipitium voluntarium, quo ſe in aquam ſeu fontis ſeu putei daret, adegerat. In aquis jam jacenti, & caput à periculi, in quo ſe videbat, magnitudine trepidum ex aquâ erigenti, adfuit coràm exagitator infelix ac truculentus dæmon. Verùm ſollicitos oculos inde aliò transferenti, viſendâ & amabili ſpecie ſe ſe obtulit auguſtum ſpei noſtræ aſylum DEIpara, tametſi ab illâ fœmina vel vix vel ne vix quidem unquam in ſubſidium evocata; quæ illam allocuta: *Mulier*, ait, *domum redi, ac tuæ ſalutis majorem deinceps curam habe.* Quo juſſu illa vires ac animos redire ſibi perſenſit adeò ut inde domum ſe conferre potuerit. Verùm longiore poſt temporum circumactu egeſtas, dæmon, deſperatio rediêre. Jámq; ſe in flumen præceps abjecerat, & aqua loquendi ac interſpirandi facultatem negabat animam mox acturæ, cùm illa beneficij aliàs à DEI Matre ne quidem in-

opem accersitâ accepti memor, corde verba concipit, quæ ore non potest ad Virginem sanctæ spei Matrem. Et verò talem experta est. Nam confestim in tutò se extra periculum positam vidit læta: & gaudio lachrymans, atq; in gratiarum actionem abundè effusa rem Patribus de Societate narravit, consilijs, ac Sacramentis ad vitam bis jam servatam ita ducendam animata, ut factis testetur illam se tanquam beneficiariam degere, nec illâ jam abuti, sed DEO ac DEI Matri devotam velle.

§. 3. *De Sanctis,*

6. Placentiæ S. Liberati corpus, quod instar thesauri absconditi hactenus ferè delituit, urnâ auro insigni, concionibus, & festo publico venerationi expositum. Neq; citra gratificationem id gloriæ accepit Sanctus; quando fæminam urnæ sacræ osculo supplici advolutam à longinqua febris quartanæ vexatione extemplo liberavit: aliam nobilitate ac pietate præstantem, sed morbo difficili miserabilem, misso ad aram cereo, reddidit hospitati. Tres deniq; puerperas partu felici fortunavit, quarum una gemino fœtu gravida cùm primum enixa, se ab altero expedire non posset, voto ad S. Liberatum nuncupato, alterum quoq; dedit

in

in lucem, qui tametsi priore longè imbecillior, tamen sacro fonte lustratus benè Liberati nomen accepit, mox viribus adeò confirmatus, ut fratri superstes etiamnum firmus vivat.

7. Ibidem Sacellum, B. Borgiæ olim cubiculum, insigni religione, ad miraculi quoq; istic ab illo patrati memoriam exornatum. Sancti autem Patris nostri gloria, ut reliqua prætermittantur, Compluti in aureo exercitiorum libello emicuit, cujus libelli ductu ac Magisterio usi Scholastici nonaginta per verni jejunij sacrum tempus, pluribus eadem exercitia magnâ efflagitatione petentibus. Illi certè, qui ea obière, omnes vitam vel ad studium sanctimoniæ singularis composuère, vel etiam felici trãsfugio è mundi castris ad Christi vexilla transière.

§. 4. *Mors unius.*

8. E quadringentorum ac suprà triginta, quot ferè in hac Provincia degunt, Sociorum albo non nisi unius mors nunciata; Compluti obita à P. Didaco de Pennalosa, viro propè octogenario, ac in Societate quinquagenario. Is quinq; Provinciæ Collegia gubernavit, altâ ubiq; virtutis ad sanctimoniam usq; elaboratæ opinione spectabilis.

bilis. Putatur, pro grandi exaggeratæ ad normam nostram virtutis elogio, S.P. Ignatium nihil scripsisse faciendum, quod P. Didacus noster non fecerit, nudâ paupertate, Angelicâ castimoniæ sanctitate, obedientiâ cæcâ in materno Societatis gremio veri filij nomen tulit. In illustri consangvineorum sub ipsis ejus oculis agentium ac nobilitate præstantium luce semovit se se, ac semigravit solitarius, divinâ illâ suâ solitudine pro frequentiâ sanctè usus. Mortis nuncium lætus accepit. At adjecit tamen se quidem benignissimâ optimi JESV misericordiâ nullius gravioris per omnem vitam delicti conscientiâ cruciari, severam tamen divinæ illius libræ exactionem perquàm metuere. Eâ tamen spe se incredibiliter ad excelsè de DEO sentiendum excitari, fore, ut quâ divinæ beneficentiæ infinitate hactenus in gratiæ sinu integer perstitisset, eâdem sibi eam conservandam in finem. Quare brevi exomologesi perfunctus, semper integram ab omni mortali labe animam egit.



AN-

ANNVÆ PROVINCIÆ TOLOSANÆ. Anno MDC.LII.

TOlosanam Provinciā quingentis plures aliquot Socij tenuère, totam domi & foris verè Provinciam charitatis.

§ 1. *Missiones.*

1. Præter ea, quæ in reductis, ad fidem pluribus Calvini assectis, Catholicisq; firmatis fiebant in Vrbibus, duo Auscitani ad montes Pyrenæos missione institutâ progressi, peragratis oppidis facilè quadraginta, convenarum vicies millena capita principijs fidei Christianæ pleniùs erudierunt. Multa in Aniciensi Missione toto ferè anno facta: Mōtalbani verò pijs privatim, & publicè allocutionibus, concionibus, adjutis pauperibus, Sacramentis, tantùm effectum; ut Calvinistis admirationem, Episcopo verò Montalbanensi diœcesim suam lustranti cum duobus è Societate illam vocem palàm expresserint: Vtiliorem sibi esse operam unius è Societate, quàm decem aliorum.

§ 2. *Beatissima Virgo DEIpara.*

2. Cùm pestis Carcassonam invasisset

15. Julij, térq; sopita ter iterùm novo incendio exarsisset, ac tandem die illibatæ Conceptioni sacro penitus abstitisset, eâ occasione in argumentum adductâ unus è Sodalitio majore author fuit Civitati, ut votum nuncuparet immaculatæ Conceptioni Beatissimæ DEI Matris, deinceps in Vrbis Patronam eligendæ, inscriptâ singulis Deiparæ imaginibus super Vrbis portas collocatis istâ epigraphe: MARIÆ IMMACVLATÆ VRBIS PROTECTRICI. Consules Vrbis cum sui Magistratus insignibus, sumptâ in majori Sodalitio Sanctissimâ Evcharistiâ, voti religione se publicè obstrinxère.

§ 3. *De S.P. Ignatio.*

3. Convaluerunt ægrotantium plus quàm quingenti, S.P. Ignatio invocato, haustâq; aquâ, in quam demissum fuerat rupis Manresanæ fragmentum. Author quærendi ejus remedij fuit notæ virtutis celebritate, insignis D. Georgius de Cambolus Sancti Saturnini Canonicus. Is Minoressam peregrinabundus olim, ejus rupis frustum religiosè allatum & argento inclusum felici experimento adhibuit; ac didicit, & docuit aquam illo contactu velut expiatam salutem plurimis attulisse. Ejusdem pulveris Manresani beneficio, ut Aureliacensem

quam-

quandam,& alias taceamus, puerpera quæ cadaver magno ſuæ quoq; vitæ diſcrimine diu nequicquam parturiebat, ſtatim à potu illo ſalva ejecit. Hæc Toloſæ, Monferrandi in Arvernia, febres, & plura morborum genera, S.P.Ignatij reliquijs aquæ bibendæ immerſis proſperè profligata. Illud quoq; Ignatianum eſt, nec obvium, quòd in Collegio Monferrandenſi, juſſu Epiſcopi Claromontani, per aliquot dies exercitia S.P.Noſtri obierint plusquam centum ſacris ordinibus initiandi, idq; magno cum fructu.

§.4. *De Alphonſo Rodriquez Coad.*

4. Jacobus Vidaleuc rerum domeſticarum adjutor, cùm octavum jam diem febri perpetuâ periculosè arderet, Alphonſi Rodriquez Hiſpani Coadjutoris felicis memoriæ, opem ſupplex imploravit, & cubiculum claro lumine perfuſum, adeóq; ipſum Alphonſum inter amabiles cæli radios pretiosè ſplendentem, & ſe laborantis pectori propè admoventem, atq; in ægrum oculos amantiſſimè figentem vigil, attentúsq; ſpectavit tantâ temporis intercapedine, quanta decurrendo quinquageſimo Pſalmo ſolet ſufficere. Stabat eo toto tempore illuſtris ille frater in ægri fratris aſpectu,

térq;

terq; in eum insufflans totum suaviore, quàm dici possit, odore complevit, tum sensim ab oculis aspicientis evanuit. Odor ille, ac intima quædam jucunditas fratri per menses plures hæsit: morbus verò, seu febris, eâdem ipsâ horâ illum planè sanum reliquit; toto spectaculi tempore gaudio & fiduciâ cumulatum, & à spectaculo suavissimè exultantem.

§. 5. *De P. Francisco Regis.*

5. Billomi P. Regis nomen magno ægrotantium usu increbuit. Opis à DEO per illum obtinendæ ratio illa est inita, ut immersâ in aquam ex osse P. Regis particulâ, illam aquam ægri piè biberent, quo facto sanitatem recuperarunt complures.

6. Aureliaci quoq; cum torminosus quidam civis adeò acribus ventris torminibus torqueretur, ut efflaturus brevi animam videretur, voto ad P. Franciscum Regis nuncupato, extemplò convaluit.

§. 6. *De Nostris vitâ functis.*

7. Tolosana lues toto decem mensium intervallo præclaram charitati Societatis, & quorundam morti portam aperuit. E viginti tironibus FRANCISCVS CATALA diem obijt extremum 27. Febr. patientiâ inter cruciatus, præcipuóq; DEIparæ ac Angeli

sui

ſui cultu, illâ deniq; in qua luem hauſit, in Noſocomio ſerviendi promptitudine laudabilis adoleſcens. Examinis particularis formulæ iſtud ſuæ diligentiæ incitamentum adſcripſit. Scito te omnia boni religioſi munia obiturum, ſi iſto examine ritè fungaris.

8. Auſcis 9. Maij mortuus eſt P. SANSO DV-RIEV ſexagenarius docendi, miſſiones obeundi, ac ad concionem dicendi muneribus diu functus. Spiritualis lectionis adeò amans, & in illa conſtans, ut à ſacro quotidie jam inde ab initio ſui tirocinij unum alterúmve caput e libello de imitatione Chriſti perlegeret.

9. Ibidem 28. Junij diem obijt P. FRANCISCVS DVPRAT 4. vota Profeſſus, Rector ejus Collegij. Illud illi per omnem vitam ſolenne fuit, ut à colloquijs quæ cujuſcunq; modi notam alicujus exiſtimationi afflarent impensè abhorruerit, ingenuo mentis indice faciei rubore ſuffuſus. Jam Vrbem, imò & Collegium tetra lues invaſerat. Ergo P. Franciſcus DEO ſupplex vitam ſuam pro ſuorum incolumitate obtulit, ut caderet pro ſuis & voto potitus eſt.

10. Ibidem octogenariam ætatem 27. Novemb. pia morte concluſit cygnus morum candore ac ſimplicitate amabilis, &

Poeta

Poeta ſcriptis quóq; ac editis varijs inſignis, P. JOANNES HENRICVS AVBERIVS, Borbonius, tria vota Profeſſus.

11. Billomi dum Noſtri egregiâ charitate opitulantur ægrotis foris, ferè omnes domum tulère malignas febres, confatale hoc anno Vrbis malum, tribus illo abſumptis. Primus eorum fuit P. JOANNES BROQVIN Auriliaci ante 66. annos natus, 4. vota Prof. arduâ obitá miſsione ac inſigni quæſtionum de fide peritiâ, & ſe ad infima docenda demittendi ſtudio, ac demum inter dolores patientiâ, ſingularis. Epiſcopus Vivarienſis ejus mortis nuncio accepto, in ſolenni Synodo Sacerdotum de illius virtutibus ac meritis luculenter non pauca præfatus, rogavit cœtum, quodnam grati animi indicium dare vellet, erga virum per annos omninò viginti de totâ diœceſi benè meritum, omnes cenſuère indicendum eſſe Miſſæ Sacrificium pro ejus anima faciendùm à ſingulis diœceſis Vivarienſis Sacerdotibus. id quod & liberaliter præſtitum fuit, tantò majore & Patris exiſtimatione, Catholicorúmq; lætitia, quòd Calviniſtæ infenſum ſuis artibus viri nomen exoſi, ipſis etiam catellis Broquini nomen imponerent.

12. Ijsdem febribus ibidem poſt hunc extinctus, P. JABOBVS LAVIALE Arvernus per 16. annos Rhetor.

13.

13. Cadurcense Collegium 7. Julij amisit P. FRANCISCVM BOII 4. vota Prof. magnum ægrorum per solatia, & eleemosynas, magnum conscientiarum per non vulgarem Theologiæ moralis peritiam, & in pœnitentiæ tribunali assiduitatem, consolatorem.

14. Decessit etiam vitâ Monferandensis Collegij Rector P. GVILIELMVS BARO, vir domi ac foris meritò pretiosus. Duo in illo difficillimarum, eóq; laudatissimarum virtutum decora fuêre præcipua; Patientia, cujus edidit solida cumprimis argumenta dum per dies septuaginta cum morbo illustri fortitudine luctaretur. Deinde humilitas; quà ita semper excelluit, ut etiam post gestum Turnone Rectoris, Tolosæ Præpositi Magistratum; Auscis pueros Grammaticam plurima cum alacritate docuerit.

15. Collegium Tolosanum etiam in prædio, quò propter luem secesserat, constantem tenuit religiosam, & Scholasticam disciplinam. Variæ tamen febres etiam istic vulgatæ duos è medio sustulêre; cùm viginti eodem tempore ægri decumberent, eminente mirificè Theologiæ studentium nostrorum omnium ab eo malo ad meritum ac præmium cumulandum singulariter immunium, impigrâ per dies laboriosos, & noctes vigiles charitate.

16. Nobiliore mortis genere optabiliter cecidère Tolosæ, dum peste prostratis opitulari contendunt, ad id voluntariâ suorum capitum destinatione, ac annuentis obedientiæ nutu devoti P. ANTONIVS CARCENAC, & CASPAR ARBE Coadjutor, Patrem sancto illi pulcherrimæ charitatis officio 28. Octobris immorientem, septimo die pari morte secutus ad coronam, quam DEVS charitati illi heroicæ destinavit: tertio, viro septuagenario, peste quidem saucio, sed ad urgendos porro felices illos labores adhuc superstite.

ANNVÆ PROVINCIÆ VENETÆ M. DC. LVII.

E trecentis sexaginta tribus Socijs, quos per tres domos, & octodecim Collegia hoc anno aluit Veneta hæc Provincia, decem è vita, quatuor è Societate abière: quorum loco duo & viginti in Societatem cooptati.

§. I. *Sacramenta. Missiones.*

1. Sacramenta præcipuus Missionum, & domi concionum fructus, omnia illustria; quædam etiam extraordinaria habuère.

Quodam in loco adolescentula per sex menses, Christo ejurato, syngraphâ sangvine impudico exaratâ se dæmoni addixerat, ab eodem singulis noctibus adolescentis imagine convestito illusa, & nefarie dehonestata: sed & tegendis pietate nefarijs hisce ludibrijs, cælesti Evcharistiæ mysterio quot hebdomadis per audacissimum sacrilegium refecta. Hæc auditâ cujusdam è Societate de Christi passi cruciatibus apposite disserentis concione, in lucem gratiæ respiravit, & pactione rescissâ, totam se Christo restituit.

2. Placentiæ luculenta nobis oblata occasio Evangelium exemplo etiam prædicandi. Sacerdos quidam secularis nostri nominis osor dicax, in rixa, quam ipse concitârat pro Collegij nostri foribus, mortuali vulnere saucius concidit, & confessarium flagitavit. Advolavit Patrum unus quispiam, & in luto sangvineq; seminecem, voce, amplexu, fovet, erigit, amanter expiat, & unà cum alio, qui accurrerat, Patre amicè inter brachia sublatum in Collegium introducit. Ibi Patres ac Socij reliqui certatim pro se quisq; illius ambire obsequia, quà vestibus exuendis, quà lectulo componendo, quà officijs allijs pro anima corporeq; infirmi satagere, stupente externorum, qui af-

fluxerant, coronâ, ipso verò verbis ruboris ac amoris plenis gratias DEO reddente, ac dicente: Quàm bonus es, Domine, qui me sceleratũ justâ morte plectens, misericordiã tuæ justitiæ tantam misces, ut me inter manus adeò sanctas mortem obire concedas. Indè quicquid ad exquisitam apparatissimæ mortis accurationem spectat, ritè peractum est, & ignoscentiæ syngrapha, quâ vitæ suæ reis ignoscebat, palàm ab illo edita; mórsq; obita pie, feliciter. Cadaver tamen authoritate publicâ cædis in locum debuit restitui. Sed ne inde ad sepulturam auferretur, à Collegij Rectore effectum est, qui illud in Collegio honorificè in feretro componi curavit, ut indè honoratior funebris pompa procederet, toto hoc eximiæ in hominem à nobis ista minimè commeritum benevolentiæ exemplo secundis Vrbis rerum consciæ sermonibus celebrato.

3. Vnum lubet è missione Faventinâ Card. Episcopi Rosetti postulatu factâ, & multorum fructuum fæcundâ hìc particulatim adjungere; quòd nempe illa non pagos tantùm, sed & exules, latronésq; quosdam in sui admirationem exciverit. Fugitivorum enim perditorum manipulus in alta quædam nemora depressus, ditâ latè missionis famâ, Patrum alterum è pago accivit,

civit, qui omnes peccata confessos amuletis cælestibus attemperatè instruxit.

§. 2. *Beatissima Deipara, Sodales, Convictus.*

4. Arimini Nostro in templo repositum albastrinum signum Deiparæ Drepanensis, & ad Romanæ Professorum Domûs imitatationem, Sabbatina istic musica celebrari, & Mariana quæpiam historia cœpta narrari; quod etiam in magnæ Deiparæ pervigilijs factitatum, sed cum eo auctario, quòd narratione illâ concitatus universæ concionis animus ad eliciendum, conceptis à Sacerdote præeunte verbis, contritionis actum invitetur. Contritionem altâ voce peractam excipit eodem tenore pronunciata ab omnibus formula, quâ Parthenij quiq; Sodales in die cooptationis Sacramentum Virgini Sodalium Reginæ dicunt. quæ duo non minùs utiliter fiunt, quàm facilè, jucundè, atq; ardenter. Neq; simile vero esse potest, abesse inde Jesum & Mariam ubi tot in nomine illorum conveniunt. Aliud quiddam de Virgine Deipara memorabile numero 11. referemus.

5. Parmæ in Sodalitio pœnitentiæ oratione parænetică ita est ad pœnitentiam incitatus præ alijs publicus quidam Juris Do-

ctor, & causarum Judex, ut octavo post illam die descriptas in Schedâ universæ vitæ suæ noxas, particulatímq; digestas Patri Præsidi dederit in cœtu Sodalium recitandas. Pater ardorem viri non penitus aspernandum, moderandum tamen ratus, quædam inde quæ exempli interesse censebat, delibavit, reo interea cum inserto in funem collo humi de genibus quæ legebantur audiente, collachrymantibus alijs ad exemplum tam inusitatæ virtutis: quam ille pergit etiam deinceps exemplis pluribus & pietatis additamentis augere.

6. Castilione in Sodalitate pœnitentiæ adolescens erat, in iram & arma æquo propensior, is ne Sacrum Congregationis nomen sangvinariâ quapiam præcipitantiâ funestaret, quoties in tironum sortitione nomen illius albo inserendum de urna prodibat, tacitè supprimebatur. Hoc demum anno cùm ejus nomen sors denuo eduxisset, Pater cum bona illius fortuna non ampliùs comperendinandum ratus, & impetu quodam ac spe actus, nomen illius recitavit, ac pro more ut se cooptandus generali confessione accuratiùs expiaret, pro more Sodalium, invitavit. Quæ ille ubi promptè perfecit, perceptâ sacrâ Synaxi in Sodalium numerum est adlectus. Beneficij tem-

tempestivitatem ostendit eventus, qui Sodalium omnium animis altè insedit. Etenim noster ille Neo-Parthenius vix è templo domum redux, à sicarijs ex improviso irrumpentibus est internectus; ita nempe rem sui Sodalis apud filium agente Patronâ Virgine, ut expiata illa anima corpus, non item vitam æternam amitteret.

7. Parmense Nobilium Collegium lætissimum spectatæ nobilitatis, ingenij, ac virtutis seminarium est, gymnasiiq; totius ac Sodalitatum exemplum. Ex ijs aliquot, supra triginta consvetis Ignatij exercitationibus in quadragesimâ sunt instructi: nam theses, Cyrum in theatro, & præclara plura sed consveta omitto. Cæterùm nobilem dilectæ sibi juventutis indolem alienis exemplis terruit, ut incitaret DEVS. Juveni qui P. Ministro, ut vocant, refractariolus, à Rectore commonitus, ad ingenium redierat, cerviculámq; contumacem iterùm iterúmq; jactabat, serio tandem Rector, Vide sis, inquit, fili, quò tua isthæc pervicacia te perducat. Abnuis obedire? Recusas vivere. Nullum enim è suis præceptis additâ brevioris vitæ comminatione asperavit DEVS, præterquàm illud, quo subjectos morigerari majoribus jubet. Obsequere, fili: ni facis, brevi senties, quàm vera loquatur

legislator DEVS. Surdus ad hæc & ferreâ cervice adolescens gravi paulò post morbo & vitâ defungitur, opportuno Seminarijs Documento, auctáq; Rectori authoritate: qui cùm alterius quoq; impotentis effrænationem minis eundem exitum fortius à Deo morte contritam vidisset, miseratione ac religione commotus, deinceps abstitit illâ veluti vaticinatione comminari.

8. Ibidem alius prædura cervicis, cùm sæpè sub jugum à moderatoribus cogeretur, immoderatiùs in Societatem efferbuit, dixítq; malle se absq; Sacramentis è vita discedere, quàm ad illa Societatis operâ uti. Hunc demum è Collegio ad suos reversum gravis invaletudo morti admovit, decretoriam horam paucis horis interjectis distare pronunciante sententiâ peritorum. Quare migraturæ animæ quantocyùs provideret. Ille id verò se facturum, sed nonnisi apud aliquem de Societate dixit, negavítq; futurum aliter, quicquid diceretur Collegia majore locorum, quàm mortem horarum intervallo distare. Consilium ergò in arena capiendum rati, Sacerdotem ignotum Jesuitæ in modum, quà possunt, convestiunt, & cubiculo consulto nonnihil obscurato tenebris dolum tegunt, ajúntq; Patrem illum felici ac fortuito casu illic re-

per-

pertum. Huic juvenis toto animo hilaratus arcana conſcientiæ ritè aperuit, & expiatam animam DEO reddidit. Nempe DEO inconſultam fuiſſe illam vocem ita oſtendente, ut qui veros Jeſuitas olim oderat, in morte illorum vel umbra contentus, ac ſalutariter à ſuis deluſus obiret.

§ 3. De quodam qui à Societate defecit.

9. Sacerdos propè ſexagenarius in Societate Procuratoris munere præ, quàm religioſum addeceat, ad libertatem laxamentúmq; abuſus, ambeſis animi viribus, contemptione modicorum paulatim decidit, & officio ſimul ac ordine motus eſt. Hũc ad ſuos redeuntem in ipſo Patriæ ac domûs limine divina ſeu vindicta ſeu poti⁹ miſeratio eſt aſſecuta, ne totus interiret. Nam è veſtigio domi æger, mortis præ foribus vicinæ velut odorem ſubodoratus è Probationis noſtræ Domo, quæ propè aberat accito Patri univerſæ vitæ rationes per Sacramentum aperuit, omnibus morientium myſterijs communitus. Tum demum fuſis abundè lachrymis infimis precibus poſtulavit, ut inter illos in atrio ſaltem mori ſibi per noſtram benignitatem liceret, inter quos indignè vixiſſet, ſibiq; juſtam expulſionem commeruiſſet. Datæ ad Provinciæ Propoſitum ſuper ea re

con-

confestim literæ, quarum tamen responsum antevertit mors moræ impatiens. Quare datum illi hoc solatij, ut sibi promissum in templo nostro locum audierit. Quare eò unde malè vivus exciderat, benè mortuus remigravit.

§ 4. *De S. P. Ignatio, & Xaverio.*

10. Carpi à gravi morbo quatuor ope S. P. Ignatij emersère; oleo vero Xavērianæ lampadis pristinam sanitatem se recepisse fatentur centum & aliquot. Faventiæ infans S. Ignatij ope à DEO impetratus, eóq; Ignatij nomine insignitus, factus jam grandior, hoc anno excitata ruri ædicula natalem Ignatij sui diem solenni pagi totius frequentiâ celebravit, idemq; deinceps factitare constituit.

11. Beatissimæ DEI Matris, & S. P. Ignatij munus est id quod narro, res ex antiquis nuperisq; permista, ideò attexenda. In Parmensi Nobilium Collegio adolescens genere, ingenio, virtute, ac formâ pudicissimè liberali præclarus, cùm nocte intempestâ, sopitis altâ quiete contubernalibus, vigil DEVM impensiùs precaretur, fæminam coram se repentè conspexit, quæ vultu potiùs brachiisq; porrectis quàm verbis lenocinata id agebat, ut persvaderet, quod immis-

si

fi aliàs dæmonis instinctu. Sodales perditi non poterant. Sed, imploratis à trepido adolescente flagranter JESV ac MARIÆ nominibus, relicto post se tetri odoris vestigio, evanuit, & castissimi juvenis gloriam non tantùm incorruptam reliquit, verùm novâ etiam hac reportatâ de carne simul ac dæmone victoriâ cumulavit. Noctem reliquam eo de triumpho lætus & gratus victor gratijs DEO palmarum datori agendis impendit. Quo tempore adfuit dilecto victori Deipara, Josephum inter atq; Ignatium Loyolam media, & bono animo esse jussum erexit maternis verbis, ac illi luculentam victoriam gratulata, dixit se advenisse ad palmam illi commeritam porrigendam. Quocirca cor panderet, ac à se peteret, quicquid percuperet. Ad hæc adolescens tenerrimæ fiduciæ pleno sensu: Quando, inquit, ô Domina, in tanti honoris me vocas audaciam, unum illud oraverim, ut in Filij tui Societate mihi liceat militare. Tum alterum tertiúmq; quiddam, seu unum utriusq; complexione perfectum adjecit. Annuit liberaliter Virgo, & hanc dixit Filij sui esse sententiam. Pergeret igitur, & se operi tanto dignum componeret. Virgini accessit adstipulator Ignatius, qui juvene ma amplexatus in Societatem cooptavit, plenumq;

númq; lætitijs, ac magnis ad virtutem animis reliquit. Hæc ut interverteret inimicus, ignotâ monachi manu fictæ literæ Patris nomine exaratæ allatæ sunt, quibus de religionis abijciendo consilio peracriter monebatur. Ad has mæsto, & positis humi genibus responsum dolenter lucubranti, adfuit iterùm Patronus Ignatius, qui DEI-paræ Virginis legatum se memorans, dæmonis in ficto cænobita dolos detexit, atq; ad Patrem suæ conscientiæ moderatorem, ut omnia dilucidè referret, ac ex illius dictis divinam voluntatem introspiceret monuit. Ceterùm cordati viri animos intrepidus assumeret, quicquid enim machinarum contra moturi essent hostes id omne brevì facili negotio pervincendum, DEO præsente semper ad opem atq; propitio. His quantum sit fidei tribuendum, tametsi solida integerrimi adolescentis virtus non obscurè suggerere videatur, jámq; juvenis in Societatem adlectus primam Virgineæ promissionis partem impleverit, & secundam etiam inchoârit, lubet tamen tantisper prædictioni reliquæ significandæ supersedere, dum desideratum à juvene, promissum à Virgine res hæc tota exitum sortiatur.

§.5.

§. 5. *Summarium de uno vitâ functo.*

12\. 6.Decembris Ferrariæ magno extrariorum & domesticorum sensu obijt P. Franciscus Palearius 3. vota Professus, aureus ingenio, ut ajunt literæ, sed oculis cæcâ nocte sepultis, quam ille calamitatem, seu felicitatem, uti & nervos in dextrâ manu contractos, religiosè ferens, eò se impensiùs dabat orandi studio, & affluentes ad pœnitentiam audiendi, domì deniq; Coadjutores Catechesi erudiendi. Eruditum ingenij ejus lumen typis lucem vidisset, nisi ab ijs, quæ scripserat, excolẽdis oculos acerba illa cæcitas prohibuisset.

Ad Majorem Dei, Deiparæ, S.P. Ignatij, & omnium SS. gloriam.



AV-

AVCTARIVM ANNVARVM.

Catalogus librorum Anno M.DC.LII. editorum.

Adami Schirmbeck, *Vita S. Bernardi Mentonij* è Gallico Latina. Monachij in 12.

Adriani Crommij *Psalmi Davidici* succinctâ paraphrasi explicati. Antverpiæ in 8. editio tertia.

Ægidij Lacarry *Mathematicæ tabulæ Logarithmeticæ* Parisijs in 12.

Item *Mathematicorum* pars altera. ibid:

Æmylij Cardines *Peccator contritus*. Neapoli in 12. Italicè.

Alberti Ines, *Acroamata Epigrammatica*. Cracoviæ in 12. editio 2. *Septem centuria epigrammatum*. Varsaviæ in 8.

Alberti Murzynowski funebris oratio: *Eques immortalitatem assecutus*. Vilnæ in fol.

Alberti Wnuk Koialowicz concio funebris: *Mors absq; tormento mortis*. Vilnæ in 4.

Alexandri Grabowski *Lumina Theodoræ* Comitis à Tarnov. Vilnæ in fol.

Alexandri Rhodes *Catechismus Tunchinensis*. Romæ in 4.

Italicè *Brevis relatio* de gloriosa morte P. Antonij Rubini & aliorum IV. è Societate, ac trium secularium Ibid. in 4.

Lati-

Latinè *Tunchinensis hist.* libri duo. Lugduni in 4. Italicè *Relatio de morte Andreæ Catechistæ* à Barbaris capite damnati. Romæ in 4.

Aloysij Albritij *Italica conciones* habitæ in Palatio Apostolico. Romæ in 4.

Andreæ Blanci *Pij mores, & sancti amores,* versu. Genuæ in 8.

Ejusdem *De Cambio.* sub nomine Candidi Philalethi. ibid. in 8.

Andreæ Rudomina Aphorismi *De Regum Regnorúmq; mutationibus, ac interitu* è Latino Chokieri Polonicè. Vilnæ in 4.

Antonij Gerard *vita S. Rosaliæ, Virginis* reddita Gallicè. Parisijs in 24.

Antonij Tarlatini Italicè *Oeconomia cœlestis,* & *Oratorium Crucifixi.* Romæ in 12.

Antonij Valier S. Augustini liber de corrept. & gratia explicatus, & notis illustratus. Parisijs in 8.

Athanasij Kircheri *Oedipus Aegyptiacus,* hoc est, universalis hieroglyphicæ veterum doctrinæ instauratio. Tomus 1. Romæ in fol.

Balthasaris Tellez *summa Philosophiæ.* Vlyssiponæ in 8.

Caroli Hanocque *Lytrum animarum* Germanicè è Gallico P. Hautini. Friburgi Helvet. in 12.

Con-

Conradi Calmelet *Perpetua generosæ mentis malacia* Latinè è Gallicis floribus P. Bineti. Friburgi Nuithonum in 24.
Ernrici Pirrhing *Apologia*, seu Defensio S. C. Majest. & Principum Catholicorum contra calumnias Superintendentis Ratisbonensis, Germanicè Ingolstadij in 8.
Dionisij Petavij Orationes & Epistolarum libri tres.
Item Ciceronis Lælius Græcè redditus. in 8:
Item Carmen saturũ ad S Genovefá in 4.
Fabij Ambrosij Spinola *Meditationes vitæ Christi*. p. 1. Italicè. Genuæ in 8.
Francisci Annati liber *de incoactâ libertate*. Romæ in 4.
Ejusd. *Augustinus à Bajanis vindicatus*. Parisijs in 4.
Francisci Cackupin *vita* P. Ludovici de Ponte Hispanicè in 4. Salmanticæ.
Francisci de Schmidt *vita* P. Petri Canisij. Belgicè. in 8. Antverp.
Francisci Sacchini *Hist.* Soc. JESV pars 4. sive Everardus. Romæ in folio.
Georgij Reeb *Trithemius* recusus & auctus. Et *Epistola adventoria*, in qua declarantur occasiones statui Sacerdotali perniciosæ, cum opportunis remedijs. Augustæ in 8.
Georgij Stengelij *vis, & virtus exemplorum*. Ingol-

Ingolstadij in 8. *De judicio particulari statim post mortem obito.* ib. in 8.
Gregorij Ferrarij *in Sanctam Apocalypsim commentar.* pars 1. Mediol. in fol.
Henrici Lamparter Vita Alph. Rodrigvez ex Hispanico Latina. Neoburgi in 8.
Hermanni Busenbaum *Medulla Theologiæ moralis* auctior in 8. Monast. West.
Hermanni Crombach *Vita S. Geroldi M.* Germanicè. Coloniæ in 12.
Hieronymi Catanei Oratio Italica de gubernatione Genuensi. Genuæ in 4.
Hieremiæ Drexelij *Antigrapheus*, sive *conscientia Hominis.* Neoburgi in 12.
Hieronymi Mulman epistola Com. Christoph: de Ranzou Catholicam fidem amplexi. E Latinâ Germanica, notis illustrata Colon. in 8. Ejusdem *Correctio lenis* Dorschæi Prædicantis. Germanicè, ibidem in 8.
Jacobi Lobbetij *Quæstiones Theologicæ morales in Evangelia* tomis tribus Leodij in f.
Jacobi Masen *de moderandis animi passionibus*, seu Myrrha Sapientum. Coloniæ in 12.
Jacobi Sirmundi Sidonius Apollinaris recognitus, & notis illustratus. Parisijs in 4.
Joannis Baptistæ Masculi Ponderationes Concionales in opera S. Aug. Neap. in f.

Joannis Baptistæ Giattini *Physica*. Romæ in 4 Oratio de domo Lauretana Romæ in 8.

JoannisBaptistæ RossiDisputationes selectæ *de potentia obedientiali creaturarum erga creatorem* tomus 2.Romæ in fol.

Joannis Berent *Oratio funebris*. Vilnæ in f.

Joannis Bisselij *de pestiferis peccatorum mortalium fructibus* exempla tragica. Dilingæ in 8.

Joannis de Dicastillo *de pœnitentia* &c. tomus 2.Antverp.in fol. Item tertius *de Matrimonio*. ibid. in fol.

Ioannis Dominici Ottonelli *Sancta conversatio IEsu Mariæ Iosephi*. Florentiæ in 4. Italicè.

Ioannis Dorisi *praxis Sacramentalis Confessionis* è S.Augustino deprompta Parisijs in 12.Gallicè.

Ioannis Francisci *Geographiæ Scientia*. Rhedonis in 8.Gallicè.

Ioannis Iacquinotij *Sertum Sacrum* recusum Nanceij in 8.

Ioannis Rho Hexemeron. *Orationes Italicè*. Venetijs in 4.

Iosephi Laudolina *discursus* Italici *de Passione Christi*, sub nomine Ildephonsi de Alagona. Catanæ.

Iosephi de Olzina Instit. Oratoriarum libri

4. Latinè, & Hiſpanicè, Barcinonæ in 4.

Iuliani Hayneufue *Veritates practicæ è vita Chriſti, & SS. geſtis* in ſingulos anni dies Rothomagi. in 4.

Laurentij Forer *vitæ Chriſti* pars 4. Dilingæ in 8. Germanicè.

Leonardi Creder ex Hiſpanico Latini interpretis liber P. Franc. Arias *de Imitatione Chriſti*, tomi 3. Monachij in fol.

Leopoldi Mancini *Memoriale Paſſionis Domini*, pro ſacrificio Miſſæ. Latinè, & Germanicè. Monachij in 12.

Matthiæ Stempel Panegyricus *Amœnitas liliorum*. Vilnæ in fol.

Melchioris Cornæi *Miracula Eccleſiæ defenſa*. Moguntiæ. in 4.

An verum ſit illud: Aut Papiſta, aut non Chriſtianus, ibid. in 4. Iudicium iniquitatis repulſum; vota antiqua monaſtica vindicata ibid. in 4.

Ariſtotelis Redivivi Romano-Catholici partes duæ Herbipoli in 4.

Nicolai Abram vita P. Vincentij Carafæ. Gallicè. Lugduni.

Nicolai Bailly Hiſt. vitæ *P. Edmundi Augerij*. Pariſijs in 8.

Nicolai Caſſini *Ephemerides* Bononiæ Italicè editæ, in 12.

Nicolai Cichovij 30. *Rationes contra Arianos*. Cracoviæ in 4.

Nicolai Zuchij *Opticæ Philosophia* experimentis & ratione à fundamentis constitutæ pars prima. Lugduni in 4.

Olivarij Bienville de facultate à sede Apostolica concessa omnibus fidelibus Christianis ut possint confiteri regularibus approbatis. Caroløpoli in 8.

Pauli Barry *Provisio Spiritualis pro meditat. Sabbat. per annum* super elogia B.V. Lugduni in 8. Gallicè.

Pauli de Rajas *horologium spirituale*, Hispanicè, Valentiæ.

Ejusdem *Lachrymæ Cæsaraugustanorum in morte Philippi III, Hisp. Regis*. Cæsaraugustæ in 4.

Petri Deschampsneuff *praxis vera devotionis* è principijs Evangelij. Parisijs in 8. Gallicè. item *Pronunciata, seu Axiomata Evangelica* ex novo testamento collecta. Parisijs in 4 Latino Gallicè.

Petri Doultremanni *Amor increatus in creaturas effusus*, quinq; libris explicatus. Insulis. in fol:

Petri le Moyne, Commoda, facilisq; ratio pietatis, seu devotionis. Parisijs in 12. Gallicè.

Ejusdem *Devotio facilis*. ibid. in 8. Gal

Petri Mambruni *Dissertatio Peripatetica de Epico carmine*. Parisijs in 4.

Petri

Petri Wiiuk Kojalovvicz *Panegyricus* Regiæ culinæ in Lithvania Magistri supremi. Item *Elogium funebre* Palatini Vilnensis. Vilnæ in fol:

Philippi Labbe *Geographia Regia* Parisijs in 8. Gallicè. Item *Prosodia Despauterij* ab eo varie illustrata. Ibid. in 8. & *Clavis aurea Historiæ Franciæ.* ibid. in 12.

Richardi Mercier, Commoratio Ecclesiæ Calvinisticæ apud Insulas imaginarias, & responsio &c. Mompessulani in 8.

Roberti Mirabelli discursus Italici in varios Scripturæ locos. Romæ in 4.

Samuelis Narkievvicz concio funebris Polonica, titulo: Decretum immortalis memoriæ. Vilnæ in 4.

Thomæ Auriemma cubiculum animæ in vulneribus Christi. Neapoli in 12. Ital.

Vilnensis Academiæ *Tarnovianus polus.* Oratio funebris. Vilnæ in fol.

Wolffgangi Herman *Carolla honoris Beatiss: Virginis.* Synopsis testimoniorum de B. Virgine. Augustæ.

Si qui alij hoc anno libri editi sint, de ijs Patres Provinciarum Præpositi & Authores ipsi moneant; ut in Catalogum Scriptorum Societ. referri possint.

INDEX ANNVARVM M. DC. LII.

Corda

Con-

Ful-

S. Io-

Pæda-

Sancti

FINIS.





